2

EXERCITATIONES
AD
PRINCIPIORUM PHILOSOPHIÆ
RENATI DES-CARTES


Partem primam,

AUTHORE


JOHANNE SCHULERO,
Philosophiæ Doctore & Professore.







ULTRAJECTI,
Ex Officinâ JOHANNIS ab HULSHUYSEN,
Bibliopolæ, cIↃ IↃ c LXVII.



Ampliſſimo, Clariſſimoque VIRO

D. JUSTO TURCQ,

MEDICINÆ DOCTORI PERITISSIMO, CONSULI CIVITATIS BERGOZOMÆ PRIMARIO, ILLUSTRISSIMÆ MARCHIONISSÆ à CONSILIIS, CURIÆ FEUDALIS PRÆSIDI VIGILANTISSIMO, REDITUUMQUE ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATORI, &c.

S. P. D.

ANnus jam abiit, **Vir Ampliſſime**, & amplius, ex quo ſpecimen quoddam Examinis Philoſophia[illegible] [illegible]e-ſianæ conſcripſi, quo [illegible] perſpicuè ſatis atque breviter primaria iſtius fundamenta *Lib.* II, *Phil. Cart.* poſita, ſubvertiſſe exiſtimo. Cumque intereà, dum illud prælo ſubeſſet, etiam haſce meas ad *Lib.* I. annotationes abſolviſſem, in publicum tamen protrudere eaſdem ad tempus nolui; quia primò aliorum quorundam ad dictum Specimen reſponſionem exſpectabam vel judicium, quò, ſicubi erraſſe me iſtic deprehenderem, faciliùs [illegible] hic corrigerem; vel ſaltem, ne latiùs proſerperet error, diligenter caverem. Verùm enimverò, cum ex Carteſii Diſcipulis, nemo comparuerit hactenus, qui di-

ctatorum ipsius se præstet patronum, meumve Specimen refutare conatus sit, diutiùs easdem publico, variis id rogantibus, denegare vix potui. Addidi quoque Exercitationem, qua argumenta Aristotelis, Procli, Averrois, aliorumque pro æternitate Mundi breviter discussi. Cùm enim Mundum immensum statuant Cartesiani, vix fieri posse existimabam, quin tandem ipsum quoque æternum esse sint asserturi. Scopus meus in hisce omnibus qui fuerit, ex Speciminis mei præfatione, quam & hic præfixam volo, sufficienter apparet.

Cæterum, Cl. Vir, Exercitationes hasce meas Philosophicas Amplissimo tuo Nomini consecrafuit animus, non tantum ea ratione, quod liberioris Philosophiæ Te studiosissimum semper fuerim expertus, & ab iis, qui sese aliorum mancipant opinionibus alieniorem; verum etiam quod publicum tandem qualecunque affectus mei erga Te, & sincerioris inter nos amicitiæ jam ab ipsis incunabulis in Urbe patria natæ, & hucusque continuatæ, in Mundo testimonium extaret. Accipe ergò, Vir Cl. chartaceum hoc munusculum, perpetuum officiosi animi signum atque μνημόσυνον ab eo, qui ex animo Deum precatur, ut Te Civitatis patriæ columen atque ornamen-

namentum, ejusdem Politiæ simul & Ecclesiæ bono incolumem diutissimè superesse dignetur, Spiritu suo regere pergat, sensumqe immortalitatis æternæque gloriæ magis magisque in Te obsignet. Dabam Bredæ eo die, quo, ipso Marte frequentibus assiduisque trophæis quasi expleto exhaustoque, atrox & immane bellum cum jucundæ pacis sereno commutatum Europa vidit. CIƆ IƆ C LXVII.

Amplissimo tuo Nomini
deditissimus

JOH. SCHULER,

IN ERUDITAS

Reverendi Theologi, & Philosophi

D. JOHANNIS SCHULERI,

Exercitationes Cartesianas.



Ncipis in cathedris nimis imperiosa tacere
Nec resonant vetus hoc, muta Stagira, sophôs:
Regnatum satis est, nescis servile tueri
Imperium, & fasces pulverulenta tuos:
Gallus, adoratum caput, & sublimia nuper
Qui dedit, inflixit Vulnera prima tibi:
Dimidius fuit ille labor: Vix migrat adultus
Error, & ostentas debilis usque caput;
Sed nova cum nostri & doctissima pagina civis
Prodiit, ah superest, quin moriare, nihil!
Cum nimis ille sua, qui tantum læsit, amaret,
Proximus est barathro, jam jugulata, tuo:
Non fuit unius totam absorbere Minervam,
Diversos voluit semper habere Lares:
Si tamen ulla sibi sapiens tentoria fixit,
Hic illic peregre est, tota sed hic habitat:
Cum sit tanta hujus Majestas incola mentis,
Qui volet alternis scribere, victus erit.

J. TURCQ.

INDEX

INDEX QUÆSTIONUM,

Quæ hiſcè Exercitationibus continentur & explicantur.

QUÆST. pag.

I. *An veritatem inquirenti de omnibus dubitandum ſit?* 1

II. *An dubia pro falſis habenda?* 2

III. *An dubitandum ſit Philoſopho, an ulla res ſenſibiles, aut imaginabiles exiſtant?* 3

IV. *An de demonſtrationibus mathematicis dubitari queat?* 5

V. *An ſemper in poteſtate noſtra ſit cavere, ne unquam erremus?* 6

VI. *An cognitio,* (ego cogito ergò ſum) *ſit omnium prima & certiſſima, quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrat?* 7

VII. *Unde cognoſcatur differentia inter corpus & animam?* 8

VIII. *Utrum ex ſola cogitatione exiſtentia noſtra certò concludi queat?* 9

IX. *An Logicæ definitiones ſemper ſint neceſſariæ?* 11

X. *An Mens notior ſit quam corpus?* 12

XI. *An à cognitione Dei omnium aliarum rerum cognitio dependeat?* 14

XII. *An exiſtentia neceſſariò in Idea Dei contineatur?* 16

XIII. *An rerũ, quæ nuſquã ſunt aut fuerunt, ideæ à mente formari queant?* 18

XIV. *An & quomodò Idea una altera ſit perfectior?* 19

XV. *An Idea Dei in nobis à Deo ſit producta?* 21

XVI. *Qualis ſit noſtra de Deo cognitio?* 22

XVII. *An argumentum ab Idea Dei deſumptum, ad exiſtentiam Dei demonſtrandam, novum ſit, & jam tandem inventum?* 23

XVIII. *An naturali lumine demonſtrari poſſit, nos à Deo eſſe conditos?* 24

XIX. *An ex duratione noſtri exiſtentia Dei demonſtrari poſſit?* 26

XX. *Utrum ex Idea Dei præter exiſtentiam alia quoque ejuſdem perfectiones demonſtrari queant?* 27

XXI. *An Deus ſit corporeus; item, an ſenſu præditus?* ibid.

XXII. *An Deus non velit malitiam peccati?* 29

XXIII. *De ordine Scientiarum, ſive qua Methodo ſit Philoſophandum?* 30

XXIV. *An credenda quæcunque à Deo ſunt revelata, etſi non clarè intelligantur?* 31

XXV. *An infinitum & indefinitum differant?* 32

XXVI. *Utrum in Philoſophia non ſit agendum de Fine?* 34

XXVII.

XXVII. *Utrum Deus posit esse causa erroris?* ibid.
XXVIII. *An facultas cognoscendi homini data non posit falsum pro vero apprehendere?* 36
XXIX. *Quaenam sit causa erroris?* 38
XXX. *Quando erret Intellectus?* 39
XXXI. *An ad judicandum requiratur actio voluntatis?* 40
XXXII. *An voluntas dici queat infinita?* 41
XXXIII. *An Deo errores mentis nostrae imputari queant?* 42
XXXIV. *An summa perfectio hominis sit, quod agat liberè?* 43
XXXV. *An errare defectum arguat in actione tantùm, & non in natura nostra?* 46
XXXVI. *An Deo, cum potuerit dare mentem erroris expertem, errores imputari nequeant?* ibid.
XXXVII. *An Libertas assentiendi vel dissentiendi nobis innata sit?* 48
XXXVIII. *An omnia à Deo praeordinata sint?* 49
XXXIX. *An & quomodò aeterna Dei praeordinatio cum arbitrii nostri libertate concilietur?* 50
XL. *An falli & assentiri falsis differant?* 52
XLI. *Quando fallatur intellectus?* 53
XLII. *Quid sit perceptio clara & distincta?* 55
XLIII. *De summis rerum generibus.* 57
XLIV. *Utrum in Anima dentur species innatae?* 58
XLV. *Utrum Animae seu Mentes inter se sint aequales?* 59
XLVI. *Quid sit Substantia?* 61
XLVII. *An Entis nomen Deo & Creaturis univocè conveniat?* 62
XLVIII. *Unde Ens cognoscatur?* 64
XLIX. *An cujusque Entis unum sit praecipuum attributum, quod ipsius naturam seu essentiam constituat?* 65
L. *An in extensione Corporis, in cogitatione verò Animae essentia consistat?* 66
LI. *An Idea Entis tùm corporei tùm incorporei, sive creati sive increati Dei, clara & distincta esse possit?* 67
LII. *De Duratione, Ordine, & Numero.* 69
LIII. *Quid sint Modi, qualitates, attributa, praedicata, affectiones?* 70
LIV. *Quid sit Tempus?* 71
LV. *Quid & quot sint Universalia?* 72
LVI. *De variis distinctionum generibus.* 73
Exercitatio Philosophica, *qua refutantur argumenta Aristotelis, Procli, item & Averrhois, aliorumque, quibus aeternitatem Mundi probare conati sunt.* 76

EXER-

EXERCITATIONES,
AD
PRINCIPIORUM PHILOSOPHIÆ
RENATI DES CARTES
PARTEM PRIMAM.

QUÆSTIO I.
An veritatem inquirenti de omnibus dubitandum sit?



Enatus des Cartes de Principiis humanæ cognitionis exorsus imprimis hoc Philosopho agendum existimat, ut omnia in dubium vocet, nihilque pro vero admittat, in quo vel levissima incertitudinis suspicio reperiatur. Verba ipsius sic sonant §. 1. *Quoniam*, inquit, *infantes nati sumus, & varia de rebus sensibilibus judicia prius tulimus, quam integrum nostræ rationis usum haberemus, multis præjudiciis à veri cognitione avertimur; quibus non aliter videmur posse liberari, quam si semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus.* Nihil equidem certius unquam aut verius dici existimo, quam præjudiciis, quibus ante rationis usum imbuti sumus, à veri cognitione sæpissimè nos averti. Usque enim adeò homines præjudiciis suis sive præconceptis animi opinionibus adhærere plerumque videmus; ut nullas ob rationes utut evidentissimas ab iis se dimoveri vel minimum patiantur. Ità ut præjudicia magno veritatem indaganti sint impedimento. Hisce ergò Philosophum immunem esse oportet, & pura mente ac libera ad Philosophandum se accingat necesse est. At verò, utrum universalis illa de omnibus dubitatio, in quibus vel minima incertitudinis suspicio occurrat, vel cogitando effingatur, aptissimum sit medium, quo liberari iis mens nostra queat, meritò in dubium vocari posset. Ecquis enim dubitet de iis, quæ jam per se aut primò vera esse, præjudicio nullo occupatus, existimat: Quis utrum infans natus sit, quod ipsum Cartesium hic supponere videmus, in dubium trahat? Nam & hic fortè à Cartesio incertitudinis scrupuli moveri possent. Meo ita-

que judicio, quod & expertus dico, optimè præjudiciis mens liberabitur, si ad rationes, quibus opiniones præconceptæ fundatæ sunt, diligenter attendat, easque omni partium studio seposito accuratè examinet, insuper & rationes, quibus contraria sententia demonstretur, seriò advertat. Concludo igitur veritatis studioso non de omnibus temerè dubitandum, cuncta verò diligenter esse examinanda, rationesque singulas pro & contra, quæcunque fuerint, antequam quid verum aut falsum sit à mente definiatur, accuratè ponderandas. Quibus peractis. Mentem usque adeò ab veritatis radiis collustratum iri existimo, ut continuò, nisi prorsus cæca sit, veritatem ipsam sit perceptura.

QUÆSTIO II.

An dubia pro falsis habenda?

De hac re ità progreditur Cartesus §. 11. *Quin & illa etiam, de quibus dubitabimus, utile erit habere pro falsis, ut tantò clarius, quidnam certißimum & cognitu facillimum sit, inveniamus.* Meo autem judicio, sicut ille peccat Philosophus, qui certa & vera habet pro dubiis aut falsis, ità non minus illum peccaturum existimo, qui dubia habet pro falsis. Cum enim veritas consistat in conformitate mentis cum re, & dubitatio sit quasi cessatio mentis, aut judicii suspensio, propterea quod rationum veritas aut evidentia nondum apparet, utique non minus periculosum videtur dubia pro veris, quam pro falsis assumere, quia, utrum veræ an falsæ sint, non constat. Quomodò ergò falsas dicemus rationes, quas nondum falsas esse intelligimus? Profectò, sicut falsum non possumus judicare, quod ut verum apprehendimus, ità neque falsum affirmare valemus, quod nobis falsum esse non apparet. Cum igitur dubia non appareant falsa, utique eadem dum sic apparent, falsa dicere aut negare haud possumus.

Deinde, si dubia, eave de quibus aliquo modo dubitare possumus, pro falsis habenda sint, utique quamplurima fidei mysteria & Sacræ Scripturæ dicta pro falsis habenda erunt, quia de eorum plurimis sæpissimè vel doctissimos dubitare constat. Quot etiam Scripturæ Loca occurrunt, quæ diversimodè à diversis explicari solent, singulorumque explicationes rationibus fulciri satis speciosis? Nunquid diversas hasce explicationes & sæpè contradictorias simul falsas judicabimus? Cum enim alterum contradictoriorum semper verum sit, alterum falsum, certè duas ejusmodi explicationes, Licet utram præferas dubites, falsas judicare non potes.

Neque

Neque obſtat, quod Carteſius ſubjicit, §. 3. *Hanc dubitationem ad ſolam veritatis contemplationem eſſe reſtringendam. Nam,* inquit, *quantum ad uſum vitæ, quia perſæpè rerum agendarum occaſio præteriret, antequam nos dubiis noſtris exſolvere poſſemus; non rarò quod tantum eſt veriſimile cogimur amplecti; vel etiam interdum, etſi è duobus unum altero veriſimilius non appareat, alterutirem tamen eligere.* Nam & ea, quæ jam ſuprà à nobis dicta ſunt, ſolam veritatis contemplationem ſpectant, ut conſideranti manifeſtum arbitror. Ex. gr. Utrum ſceptrum tempore nativitatis Meſſiæ à Judæis planè fuerit ablatum, nec ne; vel quis ſit ſenſus Loci. Gen. XLIX. 10. Affirmant quidam, negant alii. Rationes ab utraque parte proferuntur. Quid hic faciendum? Anne propter minimam dubitatiunculam, quæ alicui fortè occurrere poſſit, utramque ſententiam falſam dicemus? Quid abſurdius? Et ne quis Carteſium de rebus & quæſtionibus Philoſophicis duntaxat loqui excipiat, aliud eſto exemplum: Affirmant quidam quatuor dari elementa, ignem, aërem, aquam, & terram ex quibus corpora quævis naturaliam componantur & generatur; Alii verò, & quidem noſtro judicio longè probabilius, negant. Tu dubitas fortè, quæ ſententia verior ſit. Num propterea utramque ſententiam falſam dixeris, donec omnis tibi ſit ablatus Scrupulus? Neutrum ergò tuo judicio erit verum, corpus componi ex quatuor elementis, & non componi: id eſt, duo contradictoria tuo judicio ſimul erunt falſa, donec evidenter alterutrius veritatem percipias, quod fortè nunquam continget. Adde & aliud; ſit, qui aſtrorum numerum parem, alius verò imparem afferat, certè cum numerus par ſit aut impar, impoſſibile eſt utramque ſententiam eſſe falſam, quomodo ergo utramque ego pro falſa habiturus ſum, licet nec hujus nec illius veritas mihi evidenter appareat? Conſtat ergò dubia pro falſus non eſſe habenda.

QUÆSTIO III.

An dubitandum ſit Philoſopho, an ullæ res ſenſibiles, aut imaginabiles exiſtant?

Affirmativam tenet Carteſius, eamque ſic explicat, §. 4. *Nunc itaque cum tantum veritati quærendæ incumbamus, dubitabimus inprimis, an ullæ res ſenſibiles aut imaginabiles exiſtant: Primo, quia deprehendimus, interdum ſenſus errare; ac prudentis eſt, nunquam nimis fidere iis, qui nos vel ſemel deceperunt: Deinde, quia quotidie in ſomnis innumera videmur ſentire aut imaginari, quæ nuſquam ſunt; nullaque ſic dubitanti ſigna apparent, quibus*

bus somnum à vigilia certò cognoscat. Ego verò & hanc assertionem ut veram amplecti nequeo; Ecquis enim dubitet, utrum ipse, aut corpus ipsius existat, nec ne? Et quis sic dubitantem Philosophum audiat? Quis dubitantem, utrum hic albus sit paries an ater, hic ignis calidus, hæc aqua frigida, ferat, aut sanum putet? Dubitari quidem posset, utrum corpora talia sint, talibusve prædita qualitatibus, quales in ipsis esse arbitramur; Utrum verò simpliciter existant, dubitari nulla ratione potest ab eo, cui modò sanum est cerebrum, aut mens sana in corpore sano. Neque rationes, quibus suam conatur astruere dubitationem Cartesius, contrarium evincunt. Nam primò, utrum error sensibus attribui queat, meritò dubitari potest. Ego non sensus, sed mentem potius errare dixerim, quod res tales judicet, quales externis nonnunquam sensibus apparent. Si ergò nunquam ei fidendum judices, à quo vel semel es deceptus, utique tuo ipsius judicio nunquam credas oportet, quia sæpius ab eo es deceptus, quotiescunque nempe malè de objecto judicavit. Nunquam proinde te verè judicare tibi erit credendum, & semper decipere; Quo quid ineptius fingi aut dici queat non video. Equidem si Cartesii quispiam discipulus ità sentiat, per me ipse suo sibi fruatur judicio licet; adeoque si me errare judicet, facili ipsi negotio reponam, ipsum vel suo ipsius judicio hallucinari, adeoque me neutiquam errasse.. Sic enim ipsis Cartesii verbis argumentor: Prudentiæ est nunquam fidere ei, à quo vel semel es deceptus; Atqui, mi Cartesiane, haud semel à judicio tuò es deceptus; Prudenter itaque feceris, si judicio tuo, me errare affirmanti, fidem nunquam adhibeas. Altera quoque ratio nullius prorsus est momenti. Nos enim sentire aut imaginari aliquando, nedum quotidie, vel semel, nedum innumera in somnis, quæ nusquam sunt, mihi à Cartesio probari velim. Certum mihi hoc atque indubitatum videtur, omne sensibile, imaginabile, aut cogitabile esse aliquid, prout latius in Philosophiæ nostro Lib. 1. Exerc. III. ostendimus. Verum quidem est nos sæpius cogitare aut imaginari varia sive in somno sive in vigilia posse entia composita, quæ composita sunt, ut mons aureus, chimæra &c. at horum compositorum simplicia aut partes Entia non esse vel nihil prorsus negamus. Si ergò quid illud sit, quod somniando nobis imaginamur, quæras; respondeo esse species phantasiæ impressas, quas prorsus nihil esse aut nusquam, cum sint in cerebro, nemo dixerit. Sunt enim verum objectarum imagines, ab iisdemque causatæ, quas somniando confundi quidem inter se posse concedo, nihil tamen esse omninò aut nusquam, nunquam effeceris.

Qui-

Quibus autem ſignis ſomnus à vigilia dignoſcatur alia quæſtio eſt; Ego quidem à vigilante, modò imperturbato ſit cerebro, per ſe evidenter id cognoſci, & non niſi à ſomniante Philoſopho in dubium vocari poſſe, exiſtimo.

QUÆSTIO IV.

An de Demonſtrationibus mathematicis dubitari queat?

Affirmativam & hic tenet Carteſius, §. 5. *Dubitamus etiam*, inquit, *de reliquis, quæ anteà pro maximè certis habuimus; etiam de Mathematicis demonſtrationibus, etiam de iis Principiis, quæ hactenus putavimus eſſe per ſe nota; tùm quia vidimus, aliquandò nonnullos erraſſe in talibus, & quædam pro certiſſimis, & per ſe notis admiſiſſe, quæ nobis falſa videbantur; tùm maximè quia audivimus, eſſe Deum, qui poteſt omnia, & à quo ſumus creati.* Ego quidem ſic judico, hypotheſes quaſdam Mathematicorum in dubium vocari poſſe, quinimò varias phyſicè eſſe falſas me demonſtraſſe arbitror *Exerc. Philoſ. Lib.* 7. *Exerc.* 5. Ex. gr. *Non omnem lineam in partes æquale poſſe dividi; A quolibet puncto ad quodlibet non ſemper duci rectam lineam* &c. At verò hoc non obſtat, quo minus Mathematicorum demonſtrationes certæ & evidentes ſint ratione conſequentiæ. Adeoque in Matheſi dubitari nequit de Demonſtrationibus, utrum evidentes ſint percipienti; licet interim de hypotheſibus, quibus ejuſmodi demonſtrationes nituntur, ſcrupuli nonnulli moveri queant, ut ex dictis apparet. Deinde & hoc notandum, ea quæ evidentia nobis ſunt, non continuò omnibus evidentia eſſe; quin imò multa nunc mihi evidentia facta ingenuè fateor, quæ antehac mihi obſcura, imò & falſa videbantur. Haud ergò mirum, quod nonnulli errent, etiam circa ea, quæ evidentiſſima aliis videntur & per ſe nota. Evidentia lumen aliquod in mente ſupponit, quo dum alii deſtituantur, haud mirum veritatem ipſis ut minus evidentem aut perſpicuam apparere. Charta hæc evidenter mihi alba apparet, at verò icterico forte vel alteri oculis laboranti alio colore imbuta videbitur. Non ergò dubitandum de iis, quæ nobis evidentia ſunt, quinimò de evidentibus hoc ipſo quod evidentia ſint dubitari nequit, quia evidentia omnem ſcrupulum, adeoque & dubitationem tollit.

Quod autem ſubjungit Carteſius, Deum omnia poſſe; Ignorare autem nos, *an fortè nos tales creare voluerit ut ſemper fallamur, etiam in iis, quæ nobis quam notiſſima apparent; quia non minus hoc videtur fieri potuiſſe*

quam ut interdum fallamur, quod contingere ante advertimus. At verò se parum hic Theologum, qui potentiam Dei rectè parcipiat, ostendit Cartesius. Neque enim hæc ad impossibilia extendit, aut ea, quæ contradictionem implicant. Jam verò Deum creare homines sive creaturas ratione præditas, quæ ut tales semper fallantur, meram esse contradictionem ex parte Dei haud difficulter probari potest. Quod enim nunc erroribus & fallaciis obnoxii sint homines, id non naturæ à Deo conditæ, sed corruptæ attribuendum censeo. Deus, cum natura sua & essentia absolutè bonus sit, creaturam non nisi bonam & ratione sui perfectam condere potuit: Unde & post omnium rerum creationem legitur *Gen. 1. 31. Tum inspexit deus quicquid fecerat, ecce autem bonum erat valde.* Cum ergo creatura rationalis exigat bonitatem rationalem, sive quæ rationi sit conformis, utique hominem non nisi moraliter sive rationaliter bonum condere potuit Deus. At verò ut peccatum, ità & errorem menti sive rationi sanæ quam maximè adversari ecquis neget, siquidem in veritatis cognitione & amore omnem mentis perfectionem sive bonitatem consistere dubium esse nequit. Non ergo ignoramus, ut ait Cartesius, an Deus nos tales creare voluerit, ut semper fallamur, cum hoc ipsum sanctissimæ ipsius naturæ quam maximè repugnet, ut jam probatum est. Fieri quidem potest ut peccet homo, ut verò peccatorem qua talem creet Deus impossibile asserimus, & non minus rationi, quam Theologiæ, adversari.

QUÆSTIO V.

An semper in potestate nostra sit cavere, ne unquam erremus?

Affirmativam tenet Cartesius. *§.6. Sed,* inquit, *à quocunque tandem simus, & quantumvis ille sit potens, quantumvis fallax; hanc nihilominus in nobis libertatem esse experimur, ut semper ab iis credendis, quæ non planè certa sunt & explorata, possimus abstinere; atque ità cavere ne unquam erremus.* Ab hisce sanè verbis, quotiescunque ea perlegi, mentem meam abhorruisse fateor. Ad rem autem nunc dico, actiones quæ à mentis nostræ arbitrio dependent, non ad intellectum, sed ad voluntatem pertinere. Cum itaque credere, errare, judicare, assentire, dissentire &c. propriè actiones voluntatis non sint, sed intellectus, easdem utique mentis arbitrio nequaquam subjectas esse existimo. Neque enim à mentis nostræ libertate dependet, judicare Solem Terra esse majorem vel minorem, postquam rationes, quibus alterutrum doceatur, considera-

tæ

tæ ſunt. Neceſſitatur certè mens noſtra ad aſſenſum vel diſſenſum, ſive certum ſive probabilem, prout rationes, quibus ad aſſenſum movetur vel diſſenſum, vel ut certæ, vel ut probabiles ab ea percipiuntur. Quod ſi quoque rationes falſæ fuerint, quas tamen ut veras, ſive probabiles mens percepit, equidem ad errandum ſimiliter quaſi neceſſitari arbitror. Quo ergò ab errore abſtineamus, &, ne unquam fallamur, caveamus, tutiſſimum judico rationes pro utraque ſententia productas diligenter examinare, animoque puro perpendere; ſic enim vel ipſo naturæ lumine futurum cenſeo mentem veritatem ipſam amplexuram. Rationes enim, quas apprehendit mens, vel veræ ſunt vel falſæ; ſi falſæ, utique non niſi errorem exinde gigni poſſe vel opinionem falſam certiſſimum eſt. Si verò rationes veræ fuerint, eaſdem mens apprehendit vel ut veras & certas, vel ut probabiles tantùm: ſi priùs, orietur in mente ſcientia certa & evidens; ſi poſterius, opinio tantum, ut notum; Adeoque arbitrio hic nullus locus eſt, ut conſideranti planum. Si tamen quæſtio procedat de actionibus imperatis & externis, ſcilicet de affirmatione, negatione, aſſenſu, diſſenſu, judicio, errore, &c. quatenus in externa oris enunciatione, vel etiam ſcriptione conſiſtit, iſtoc ſanè ſenſu in libero noſtro arbitrio poſitum eſſe fateor aliquid affirmare vel negare; ac proinde eatenus Carteſio concedi poſſet, nos poſſe cavere ne unquam erremus. Si nempè nihil unquam enunciemus vel ſcribamus eſſe verum vel falſum, niſi quod verum vel falſum eſſe clarè diſtinctèque jam percepimus. Et hoc ſenſu quoque alibi tantiſper mentis noſtræ aſſenſum cohibendum eſſe me ſcripſiſſe memini, donec clarè diſtinctèque illud verum eſſe perceperimus.

QUÆSTIO VI.

An cognitio, (Ego cogito, ergò ſum) *ſit omnium prima & certiſsima, quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrat?*

Ità ſentit Carteſius. §. 7. *Sic autem rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo poſſumus dubitare, ac etiam falſa eſſe fingentes; facilè quidem ſupponimus, nullum eſſe Deum, nullum cælum, nulla corpora; Noſque etiam ipſos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum corpus; non autem ideò nos qui talia cogitamus nihil eſſe: repugnat enim, ut putemus, id quod cogitat, eo ipſo tempore quo cogitat, non exiſtere. Ac proinde hæc cognitio*, ego cogito, ergo ſum, *eſt omnium prima & certiſsima, quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrat.* Nec rejicienda, nec falſa fingenda eſſe, quæ jam

vera

vera ſcimus ut, eſſe Deum, cœlum, ſydera, corpora extra nos, noſque habere corpus, manus, pedes, oculos, &c. ex dictis apparet; quin imò hoc impoſſibile arbitramur ei, cui modo ſanum eſt cerebrum. Interim & hoc verum cenſemus, ſi quiſpiam mentis adeò impos fuerit, ut iſta omnia vel rejiciat vel falſa cogitet, rectè tamen ex eo colligi poſſe, talia cogitantem exiſtere, ſiquidem qui ſtultis eſt, vel inſanus vel atheus, non eſt omninò nihil. Repugnat namque ut putemus eum, qui ſtultus eſt aut inſanus, eo tempore, quo inſanit aut ſtultitiam ſuam exercet, non exiſtere? At verò, qua demum hinc conſequentia quiſpiam deduxerit, hanc cognitionem, *Ego cogito, ergo ſum*, eſſe omnium primam & certiſſimam; quæ cuilibet ordine Philoſophanti occurrat, quod vult Carteſius. Nonne enim primò oportet ſcire, quid ſit cogitare, eſſe, exiſtere? Et nonne iſta illativa; *ego cogito; ergò ſum*, præſupponit omnem actionem præſupponere agentem, ejuſque exiſtentiam? Quo jure ergò hæc cognitio, *ego cogito ergò ſum*, omnium prima dicatur, & certiſſima, cum & aliæ non minus certæ dentur, hactenus ſaltem ego evidenter percipere non potui. Certè cùm omnis concluſio eliciatur ex præmiſſis, earum notitia concluſionis cognitionem antecedat neceſſe eſt.

QUÆSTIO VII.

Unde cognoſcatur differentia inter corpus & animam?

Exiſtimat Carteſius omnia prorſus dubia rejiciendo, & falſa fingendo optimè ad cognitionem Mentis perveniri poſſe, ejuſque à corpore diſtinctionis; Sic enim progreditur §. 8. *Hacque optima via eſt ad mentis naturam, ejuſque à corpore diſtinctionem agnoſcendam: Examinantes enim quinam ſimus nos, qui omnia quæ à nobis diverſa ſunt ſupponimus falſa eſſe, perſpicuè videmus, nullam extenſionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid ſimile, quod corpori ſit tribuendum, ad naturam noſtram pertinere, ſed cogitationem ſolam; quæ proinde prius & certius quam ulla res corporea cognoſcitur; hanc enim jam percepimus, de aliis autem adhuc dubitamus.* Certè ſicuti peccando aut malè agendo ad virtutem perveniri nequit, ità nec errando aut vera pro falſis habendo ad veritatem aut ſcientiam propriè perveniri arbitror. Cumque extenſum eſſe idem ſit Carteſio, quod eſſe extra punctum indiviſibile, eoque nequaquam includi aut terminatum eſſe, qua utique ratione omnem prorſus extenſionem à mente removeat, haud benè capio. Sed & motum localem ipſi adimit. Nunquid

ergò

ergò mentem immobilem, eidemque semper spatio præsentem & quasi affixam existimat? Hoc si statuatur, quomodò mentis immortalitatem, ejusve à corpore separabilitatem defendat Cartesius, ipsi viderint.

Meo quidem judicio, haud rectius aut certius, ut existentia ità & natura mentis agnoscitur, quam à posteriori, ut loquuntur, id est, ex illius operatione immateriali. Quod ut intelligatur, notandum est operationes nos in nobismet ipsis advertere varias, cogitamus, dubitamus, judicamus, loquimur, videmus, audimus, ambulamus, edimus, &c. Hasce inter operationes magnam advertimus differentiam. Earum enim quædam ità comparatæ sunt, ut absque instrumento corporeo peragi haud queant, ut loqui, videre, audire, ambulare, edere, &c. quas propterea materiales seu corporeas appellare soleo. Quædam verò ità sunt comparatæ, ut corporis instrumento aut organo non indigeant, ut, cogitare, dubitare, judicare, &c. Quas propterea immateriales actiones appello, & à corpore independentes. Cùm igitur ex operationibus animæ seu mentis existentiam & naturam cognosci dico, non materiales actiones, (cujusmodi etiam in brutis conspiciuntur) sed immateriales intelligo; siquidem certissimum & evidentissimum mihi videtur, id omne, quod absque aliquo operari potest, id quoque absque eo esse & existere posse. Latius de hoc negotio disserui, *Philos. Lib.* 1. *Exerc.* 1. *Et Lib.* 4. *Quæst.* 1.

QUÆSTIO VIII.

Utrum ex sola cogitatione existentia nostra certò concludi queat?

Affirmat Cartesius; *Cogitationis* autem nomine se intelligere dicit §. 9. *illa omnia, quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est. Atque ità*, inquit, *non modo intelligere, velle, imaginari, sed etiam sentire, idem est hic quod cogitare. Nam si dicam, ego video, vel ego ambulo, ergò sum, & hoc intelligam de visione, aut ambulatione, quæ corpore peragitur, conclusio non est absolutè certa; quia, ut sæpè fit in somnis, possum putare me videre, vel ambulare, quamvis oculos non aperiam, & loco non movear, atque etiam fortè, quamvis nullum habeam corpus; sed si intelligam de ipso sensu, sive conscientia videndi aut ambulandi, quia tunc refertur ad mentem, quæ sola sentit, sive cogitat, se videre aut ambulare, est planè certa.* Confundit hoc loco Cartesius actiones intellectus & voluntatis, cum tamen magna inter ipsas sit differentia. Licet enim In-

tellectum & Voluntatem facultates, nec inter se, nec ab ipsa anima, distinctas realiter esse concedam, actiones tamen ipsas diversissimas esse existimo. Aliud enim est velle, aliud cogitare, percipere, &c. Intelligimus, cogitamus peccata, mala, adversa, quæ tamen nemo propterea se velle dixerit. Si tamen cogitandi vocabulum tanquam genericum ad quasvis mentis seu animæ actiones elicitas quispiam accommodare velit, quæstio magis de nomine quam de re esse videtur. Latissimo tamen hoc significatu uspiam reperiri non puto. Sed esto, quælibet mentis actio vocetur cogitatio; Num ergò ex sola cogitatione me existere colligam? Profectò, cùm omnis actio sit agentis seu agentem præsupponat, qua ratione ex visione aut ambulatione, quæ corpore peragitur, existentia nostra haud rectè aut certò concludi queat, non video.

Neque obstat, quod ait Cartesius, *sæpè in somnis possum putare me videre vel ambulare*, &c. Longè enim aliud est putare me videre, aut ambulare, aliud videre ipsum, aut ambulare. Putare actio mentis est, videre & ambulare ad corpus pertinent, quamvis & animam videndi potentia præditam esse alibi à me ostensum est. *Phil. Lib.* 4. *Quæst.* 10. Quicquid sit, ea quæ in somnis videntur, species sunt materiales phantasiæ impressæ, quæ proinde & corporis existentiam satis evidenter arguunt; Adeoque, quod aliquis absque corpore possit *fortè* putare se ambulare pedibus nempe, per *fortè* negari posset. Neque enim ulla ratione fit verisimile, mentem vel animam à corpore separatam hujusmodi somniorum ludibriis hallucinari.

Denique & hoc notandum hic occurrit, quod Cartesius cogitationem sive perceptionem mentis, qua se videre aut ambulare putat, ad Conscientiam referat, cum usus, quo solo verba valent, obtineat, ut Conscientia vocetur illa mentis facultas, qua quid egimus vel non egimus, vel etiam agendum omittendumve nobis sit, conscii sumus, ut & alibi docuimus. *Philos. Lib.* 6. *Exerc.* 11. Quænam ergó hæc est licentia, verbis pro arbitrio alium, quam longus usus constituit, sensum, aut significationem affingere alienam? Philosophorum est, non verba ad alienam significationem detorquere, sed claris, perspicuis, usitatisque verbis veritatem proponere atque explicare.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.
An Logicæ definitiones semper sint necessariæ?

De hoc negotio ità disserit Cartesius §. 10. *Non hic explicabo alia multa nomina, quibus jam usus sum, vel utar in sequentibus, quia per se satis nota mihi videntur. Et sæpè adverti, Philosophos in hoc errare, quod ea quæ simplicissima erant ac per se nota, Logicis definitionibus explicare conarentur; ità enim ipsa obscuriora reddebant. Atque ubi dixi, hanc propositionem, Ego cogito, ergò sum, esse omnium primam & certissimam, quæ cuilibet ordine Philosophanti occurrat, non ideò negari, quin ante ipsam scire oporteat, quid sit cogitatio, quid existentia, quid certitudo; item quod fieri non possit, ut id quod cogitet non existat, & talia; sed quia hæ sunt simplicissimæ notiones, & quæ solæ nullius rei notitiam præbent, idcircò non censui esse numerandas.* Equidem, si per Logicas definitiones intelligat Cartesius vulgares illas, quæ apud Aristotelicos passim occurrunt, res istis plerumque non explicari fateor, sed intricari magis atque obscuriores reddi. Exemplo sit vulgò recepta illa apud omnes ferè Hominis definitio, quæ omnium perfectissima habetur, *Homo est animal rationale.* Ecquis enim hac definitione rectius aut clarius naturam hominis percipiat, quam si simpliciter notionem Hominis efferri audiat? Jam enim quid sit *Animal*, & quid *rationale* definiendum erit. Meritò igitur, meo quidem judicio, notavit hoc loco Cartesius hunc in Philosophis errorem, quod etiam res simplicissimas & per se notas logicis suis Definitionibus, (quæ genere constent & differentia, qualem fortè nusquam reperias, siquidem omnia à quibus differant, haud cognoscis) explicare conentur. Non possum, quin addam hic verba Gassendi Philosophi disertissimi de hoc negotio disserentis, *Exercit. Parad. Lib.* II. *Exerc.* 5. *Nunc quod magis est res præsentis quæsierim solum ex te quomodò putes rustico ac Philosophia tua ignaro planam fieri hominis naturam, ubi paucis verbis illi dixeris Animal rationale? Ut enim taceam quot explicanda occurrerent illi circa Animal, cùm non magis foret Animalis, quam Hominis cognita natura, in quamnam caliginem putas deducendus esset, cum inquirenti quid per rationale intelligeres, tot verba essent multiplicanda, & de singulis tot essent interroganda, ut dies illum & te lux omninò deficiat. Neque enim dixeris Definitione semel assignata nihil esse amplius quærendum, siquidem cum tu vel gratis, vel juxta præoccupationem dare mihi verba possis, quæ ego possim non intelligere, quorsum mihi ulterius te rogare non liceat, ut illud ipsum tandem quod tu intelligis, intelligam?*

gam? Et præsertim in hac materia, cum adeò difficile sit vel uno, vel paucis verbis abstrusam adeò rem explicare, cujusmodo est essentia, quæ eadem sit, & cognosci debeat radix & causa tot proprietatum cum ratione; quæ illas fundit vel adjunctas habet, &c.

Verùm enim verò hæc ut ità sint, & ineptæ pleruinque in Peripato rerum tradantur Definitiones, haud tamen propterea negandum, rerum etiam simplicium, ut cogitationis, existentiæ, certitudinis, &c. explicationes tradi posse, quibus etiam ea, quæ simplicissima sunt, facilius & clarius à mente percipiantur. Neque enim ea, quæ per se & sua luce nota dicuntur, omnibus nota esse putandum est. Definitiones itaque sive explicationes eo fine adhibendas censeo, ut ea, quæ ratione hujus aut illius intellectus obscurrora sunt, licet aliis clara, etiam ipsi clariora & perspicua evadant. Quod enim per se notum est, non continuò omnibus æquè notum est. Multa jam me intelligere & percipere vel absque definitione & explicatione ulteriori existimo, quæ tamen olim non adeò clarè me intellexisse aut percepisse memini. Ità ut etiam rerum notissimarum definitiones sive explicationes necessariæ, non absolutè, vel ratione intelligentium, Dei, Angelorum, vel etiam hominum doctiorum; sed relativè ad eos, qui ad illum cognitionis aut Luminis gradum nondum pervenerunt. Et hinc est, quod Cogitationem definiamus actionem mentis rem quandam considerantis; Existentiam esse ipsam essentiam Entis, quatenus ut actualiter præsens à mente concipitur; Certitudinem esse mentis persuasionem, quæ omnem dubitationem excludit; & ità de cæteris.

QUÆSTIO X.
An Mens notior sit quam corpus?

Præsuppono quæstionem hanc instititui ratione scientiæ humanæ, siquidem ratione Dei omnia æquè nota sunt & conspicua. Sensus ergò quæstionis propositæ est, utrum nobis notius sit, Mens nostra, an Corpus? De hac re ità Cartesius. §. 11. *Jam verò ut sciatur, mentem nostram non modò prius & certius, sed etiam evidentius quam corpus cognosci, notandum est Lumine naturali esse notissimum, nihili nullas esse affectiones sive qualitates, atque ideò ubicunque aliquas deprehendimus, ibi rem sive substantiam, cujus illæ sint, necessariò inveniri; Et quò plures in eadem re sive substantia deprehendimus, tanto clarius nos illam cognoscere. Plura verò in mente nostra, quam in ulla alia re à nobis deprehendi, ex hoc manifestum est, quod nihil*

nihil planè efficiat, ut aliquid aliud cognoscamus; quin idem etiam multò certius in mentis nostræ cognitionem nos adducat. Ut si terram judico existere, ex eo quod illam tangam vel videam, certè ex hoc ipso adhuc magis mihi judicandum est mentem meam existere; fieri enim forsan potest, ut judicem me terram tangere, quamvis terra nulla existat; Non autem, ut id judicem, & mea mens quæ id judicet nihil sit; atque ità de cæteris. Equidem si vel minima dubitatio sufficiat, ut res dubia pro falsâ habeatur vel rejiciatur, & verò jam suprà demonstrationes Mathematicæ vel eo nomine in dubium vocatæ sint à Cartesio, quod nonnulli in talibus errarint, ut supra §. 5. assertum; nescio qua ratione mens nostra notior, quam corpus ab ipso statuatur, cùm tot jam olim & etiam num reperiantur, qui mentis existentiam, tanquam Entis à corpore realiter distincti, in dubium vocarunt, verum etiam apertè eandem negarunt, idque variis argumentis demonstrare conati sunt. Ad rem verò quod attinet, ego non minus corporis, quam animæ sive mentis existentiam à nobis cognoscibilem existimo; Si verò quæstio instituatur de natura, proprietatibus sive attributis eam explicantibus, nihil equidem verius à Cartesio dictum arbitror, quam quo plures in eadem re proprietatis sive qualitates deprehendimus, tantò quoque clarius & perfectius eam nos cognoscere. Utrum verò plures in mente nostra qualitates à nobis deprehendantur, quam in ulla alia re, non ità clarum est. Neque ratio Cartesii hoc ipsum evincit, siquidem ex ea concludi tantum potest, nihil a nobis percipi aut intelligi absque anima aut mente, quæ percipiat & intelligat; adeoque omnium rerum cognitionem mentem præsupponere. At non sequitur, de existentia mentis certus sum antequam de aliarum rerum existentia certus sim; Ergò plura de mente mea percipio, quam de rebus cæteris. Similiter ex eo, quod videam oculis multa objecta, concludi quidem potest objectorum perceptionem oculos præsupponere; at non sequitur exinde à me plura in oculis videri; quam in objectis, ut notum. Denique & hoc ad Cartesii argumentum notandum occurrit, ex eo colligi quidem posse mentem existere, licet vel falso judicet; at verò ex eo haud probari mentem esse Ens quoddam à corpore distinctum. Dixerit enim fortè quispiam, se non existentiam animæ negare, seu mentis, quæ judicet; at verò se negare animam esse Ens quoddam à temperamento aut cerebro nostro distinctum, quod est probandum.

Quamvis autem admodum infirma sit hæc Cartesii illatio, fatendum tamen mihi videtur, mentem sive animam humanam, quæ natura sua

 intel-

intelligendi facultate prædita est, longè facilius diligenti studio & meditatione adhibitis, ad sui ipsius quam corporum aut rerum materialium cognitionem pervenire posse. Et ratio hæc est. quia longè major est proportio mentem inter ipsiusque facultatem, quam inter mentem & corpus. Sicuti ergò corpora pellucida, ut vitrum cristallum, aqua, glacies, &c. magis conspicua sunt oculis corporeis, quam corpora opaca, ità ut etiam partes interiores appareant; ità quoque naturas spirituales & materiæ expertes oculo mentis sive intellectui magis conspicuas esse & intelligibiles judico, ità ut etiam intimæ actiones earum ab eo cognoscantur. Quò etiam referri haud ineptè fortè posset illud Apostoli, 1 Cor. 11. 11. *Quis enim hominum novit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo?*

QUÆSTIO XI.

An à cognitione Dei omnium aliarum rerum cognitio dependeat?

Quia hactenus Cartesius, dubitationibus suis quasi sopore quodam oppressus atque involutus, ignorat, utrum talis fortè ipsius sit natura, ut fallatur etiam in iis, quæ ipsi evidentissima apparent, nullam quoque certam se habere Scientiam asserit, donec primò Authorem suæ originis, id est, Deum agnoscat; Nempe talem à quo non nisi talis creatus sit aut creari potuerit, ut falli nequeat, saltem in iis, quæ sibi clara & evidentia apparent. Et hinc tandem omnium rerum scientiam sive cognitionem à cognitione Dei dependere concludit, Sed, ipsum differentem audiamus, §. 13. *Cum autem*, inquit, *mens, quæ seipsam novit, & de aliis omnibus rebus adhuc dubitat, undiquaque circumspicit, ut cognitionem suam ulterius extendat; primò quidem invenit apud se multarum rerum ideas, quas quandiu tantùm contemplatur, nihilque ipsis simile extra se esse affirmat nec negat, falli non potest. Invenit etiam communes quasdam notiones, & ex his varias demonstrationes componit, ad quas quandiu attendit, omnino sibi persuadet esse veras. Sic; Exempli causa, numerorum & figurarum ideas in se habet, habetque etiam inter communes notiones*, quod si æqualibus æqualia addas, quæ inde exsurgent erunt æqualia, *& similes; ex quibus facilè demonstratur tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, &c. ac proinde hæc & talia sibi persuadet vera esse, quandiu ad præmissas, ex quibus ea deduxit, attendit. Sed quia non potest semper ad illas attendere, cum postea recordatur, se nondum scire, an forte talis natura creata sit, ut fallatur etiam in iis, quæ ipsi evidentissima apparent, videt, se merito de talibus dubitare, nec ul-*

ullam habere posse certam scientiam, priusquam sua authorem originis agnoverit. Quę Cartesii sententia, utut satis pia videtur, quatenus cognitionem Dei omnium rerum scientiæ præferendam statuit, Philosophica tamen aut vera non est; quin imò diligentius perpensa omnium rerum cognitionem, ne dicam ipsius Dei, reipsa evertit. Quamvis enim Deum talem hominem creasse ponamus, qui in istoc statu falli nequaquam potuerit, ecquis etiamnum talem esse hominis naturam exinde evicerit? Cùm enim hominis natura peccato & primorum parentum lapsu admodùm sit corrupta, usque adeò ut in iis, quę ad æternam ipsius spectant beatitudinem planè cæcutiat, nihilque eorum intelligat, teste Apostolo 1 *Cor.* 11. 14. Nonne in promptu est suspicari etiam falli hominem posse in iis, quæ naturalem hujus vitæ perfectionem concernunt? Si enim haud repugnet naturæ mentis humanæ errare in iis, quæ ad æternam ipsius beatitudinem requiruntur, num repugnabit eandem hallucinari in iis, quæ ad temporalem ipsius perfectionem sunt necessaria? Quamvis ergò Deum statuamus esse αὐτοαλήθειαν & summè veracem, à quo creati sumus, (si hujusmodi dubitationibus indulgeamus) semper remanebit scrupulus, utrum non semper fallamur, postquam corrupti sumus, & integritate concreata destituti. Quid ergò proderit scire Deum Creatorem tuum esse veracem & minimè fallacem, eumque te integrum & vera intelligendi facultate præditum condidisse, cum te integritatem istam aut intelligendi virtutem etiamnum possidere nescias, quin verò jam dudum te eam amisisse suspicari liceat? Constat ergò ex cognitione Dei reliquarum rerum cognitionem nequaquam dependere. Et reverà, etiamsi siquis cogitaret Deum non esse, vel ipsius existentiam in dubium vocaret, vel ignoraret, non tamen proptereà, si modò rationis esset compos, ignorare posset duo & tria esse quinque; Totum esse majus sua parte; æqualibus, si addas æqualia vel demas, reliqua fore æqualia, &c. Et ratio est, quia hujusmodi prædicata reipsa & intimè suis subjectis includuntur; qui enim duo & tria dicit, idem dicit quod quinque, aliis solummodò verbis idem enuncians. Similiter qui Totum nominat, partes, quę totum constituant, intelligit, quæ proinde singulæ toti æquales esse nequeunt, & sic de cæteris. Neque alia videtur esse ratio earum veritatum, quæ ex hisce in Mathesi deducuntur. Ex. gr. Trianguli tres angulos duobus rectis esse æquales, &c. siquidem hic reverà nihil aliud dicitur, quam unum esse idem seu æquale alteri, Exempli gratia, Numerum duodenarium esse æqualem tribus quaternariis; vel quatuor ternariis; vel ternario, qua-

ternario, & quinario; vel duobus senariis, &c. quæ omnia in re prorsus idem sunt, ut consideranti patebit. Sicuti ergò falli nequit, qui aurum dicit esse aurum, Totum continere suas partes, numerum quinarium binarium & ternarium, &c. perinde quoque eum falli prorsus impossibile arbitror, qui hujusmodi veritates absolutè veras judicat, etiamsi eum cognitione Dei haud imbutum esse fingamus. Harum ergò veritatum cognitio à cognitione Dei non dependet. Adde denique quamplurimos repertos esse, & etiamnum reperiri saltem practicè atheos, quos tamen nihil de Deo cognitantes plurimarum rerum cognitione imbutos esse constat.

Si excipias, eorum cognitionem haud esse certam, quia utrum tales creati sint, qui semper fallantur ignorant, ad id jam satis supra responsum est. Nam primò eundem nunc in hoc corruptionis naturæ humanæ statu scrupulum Cartesio movere possem, ipsum, jam omninò cognitione Dei imbutum, tamen scire non posse, utrum non usque adeò mens ipsius occæcata sit, ut jam nusquam veritatem invenire queat. Nam si ratione rerum spiritualium homo cæcus sit, per quarum cognitionem absolutam perfectionem consequi posset; quidni & cæcus esse queat ratione eorum, quæ ad naturam pertinent? Deinde, absolutè impossibile esse diximus, & apertam putamus involvere contradictionem, hominem falli sive errare in iis, quæ sua natura nota sunt, ipsique evidentia, cujusmodi imprimis sunt veritates jam dictæ & similes, quas vulgò Notiones communes appellant, & in re ab ipsa ratione haud differunt; & consequenter etiam quæcunque ex iis evidenti consequentia deducuntur, iisque proinde inclusæ continentur, quæque proinde à nemine sanæ mentis & ratione utenti negari unquam vel in dubium vocari possunt. Quodcunque enim quis clarè distincteque percipit esse verum, id etiam verum esse necesse est; Neque alia majoris certitudinis regula tradi vel excogitari potest; quam proinde & sibi perpetuò observandam proposuit ipse Cartesius, *Dissertatione de Methodo. §. 11.*

QUÆSTIO XII.

An existentia necessariò in Idea Dei contineatur?

Meo quidem judicio, cum Deus sit Ens perfectissimum, παντοτελέον, quod omnes vel cogitabiles essentiâ suâ perfectiones continet, utique Dei conceptu omnes omninò perfectiones objectivè contineri certissimum videtur. Cum itaque in *τῷ non existere* nulla perfectio contineatur,

tur, ſitque omnium perfectionum quaſi negatio, utique & conceptu Dei exiſtentiam ejuſdem includi manifeſtum eſt; atque adeò Deum abſque exiſtentia concipi repugnat. Prætereà, ſi Deus eſſe aut concipi queat abſque exiſtentia, utique & concipi poſſet tanquam Ens poſſibile, ſicut creatura; quod ſi conceſſeris, poterit & concipi Deus tanquam Ens producibile & ab alio dependens, nempe à quo ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum actualitatis reduci poſſet. Verum enim verò, cum conceptu ſive idea Dei etiam independentia contineatur, utique Deum abſque exiſtentia concipi, aut ideam Dei non exiſtentis dari, repugnat. Veriſſimè ergò hoc loco concludit Carteſius, §. 14. ut ex eo, quod mens percipiat *in Idea trianguli neceſſariò contineri, tres ejus angulos æquales eſſe duobus rectis, planè ſibi perſuadet triangulum tres angulos habere æquales duobus rectis; ità ex eo ſolo, quod percipiat, exiſtentiam neceſſariam & æternam in entis ſummè perfecti idea contineri, planè concludere debet, ens ſummè perfectum exiſtere.*

Confirmatur hæc quoque ſententia ex ſequentibus, quod nempe nullius alterius ideam ejuſmodi neceſſariam exiſtentiam in ſe continere advertat mens noſtra; quod ſimiliter rectè docet Carteſius, §. 15. *Magiſque hoc credit, ſi attendat, nullius alterius rei ideam apud ſe inveniri, in qua eodem modo neceſſariam exiſtentiam contineri animadvertat. Ex hoc enim intelliget, iſtam ideam entis ſummè perfecti non eſſe à ſe effictam, nec exhibere chimæricam quandam, ſed veram & immutabilem naturam, quæque non poteſt non exiſtere, cum neceſſaria exiſtentia in ea contineatur.* Hæc ſatis rectè procedunt. Quæ ut intelligas, notandum, creaturas, earumque ideas ità comparatas, ut neceſſariam exiſtentiam non involvant. Poteſt enim, exempli gratia, Idea roſæ in me exiſtere, licet reipſa roſa extra mentem meam non exiſtat; pro arbitrio enim eam mente quolibet tempore concipere poſſum: & facilè adverto eam etiam non exiſtere poſſe. At verò longè aliter ſe habet idea Dei ſive entis perfecti; ab eo enim, quod ſummè perfectum eſſe intelligo, exiſtentia ne à mente quidem poteſt ſeparari. Et ſi ne mente quidem exiſtentia ab eſſentia Dei ſeparabilis eſt, utique multò minus extra mentem meam eam ſeparabilem eſſe manifeſtum videtur.

Dices: Atqui omne ens exiſtit, ſeu exiſtentiam habet: quod enim non exiſtit, nuſquam eſt, adeoque nec ens. Cùm ergò varia entia à me concipi queant, licet non exiſtant, utique neque ex conceptu Dei ejuſdem exiſtentia colligi poſſe videtur. Reſpondeo, me libenter concedere, omne Ens exiſtere, adeoque entia poſſibilia, ut vocant, nulla eſſe

la esse & non nisi æquivocè sic dicta. Concedo insuper ex conceptu entis cujuslibet haud rectè existentiam ejusdem concludi posse. At verò notandū hic est, me facilè intelligere magnā esse differentiam inter conceptum Dei & creaturæ. Conceptus sive idea Dei mihi repræsentat existentiam necessariam & independentem; conceptus verò creaturæ sive idea entis creati mihi repræsentat existentiam non necessariam, dependentem, & arbitrariam; adeoque licet ex conceptu illius creaturam existere concludere nequeam, certè tamen ex conceptu Dei sive entis summè perfecti evidentissimè concludere posse videor Deum existere, quia illius idea necessariam existentiam includit. Præterea, & hoc notari velim, licet ex idea rosæ haud rectè concludi queat rosam existere, concludi tamen & hoc posse rosæ ideam nunquam in me existere naturaliter potuisse, si nunquam rosa in rerum natura fuisset, quæ istius in me ideæ fuisset causa. Nisi ergò esset Ens perfectissimum in rerum natura, nunquam illius idea in mente mea esse potuisset; unde enim illa potuisset esse producta? Certè, sicuti species in speculo apparens terminata, non nisi à corpore finito & terminato causari potuit, ità neque idea entis infiniti in mente mea unquam esse potuisset, nisi ab ipso Deo in illa producta seu causata fuisset.

QUÆSTIO XIII.

An rerum, quæ nusquam sunt aut fuerunt, ideæ à mente formari queant?

Nec est, quod quispiam contra præcedentia objiciat, essentiam communiter ab existentia à nobis solere distingui, variasque proinde rerum ideas etiam nusquam existentium, adeoque & ipsius Dei pro arbitrio à nobis effingi posse; siquidem jam omninò dictum est, nullius rei ideam apud nos inveniri, in qua existentiam usque adeò necessariam contineri mens nostra advertat. Hanc quoque sibi objectionem proponit Cartesius, §. XVI. *Hoc*, inquit, *facilè credit mens nostra, si se prius omnino præjudiciis liberarit. Sed quia sumus assueti, reliquis omnibus in rebus essentiam ab existentia distinguere; atque etiam varias ideas rerum, quæ nusquam sunt, aut fuerunt, ad arbitrium effingere, facilè contingit, cum in Entis summè perfecti contemplatione non sumus planè defixi, ut dubitemus, an fortè ejus Idea una sit ex iis, quas ad arbitrium effinximus, aut saltem, ad quarum essentiam existentia non pertinet.* Ubi tamen notari velim primò, non adeò certum esse varias rerum ideas, quæ nusquam sunt aut fuerunt ad arbitrium à nobis effingi

effingi posse; quamvis enim id de compositis ideis facilè concedam, de simplicibus tamen falsissimum assero, neque ullam unquam à mente nostra contingi posse arbitror ideam, quæ non ab esse aliquo reali extra mentem causetur. Montis quidem aurei vel argentei nusquam terrarum existentis ideam formare possum, attamen istam à me compositionem factam fuisse nunquam, aut fieri potuisse, nisi jam antè montis, auri, & argenti ideas habuissem, certum est. Et tales omnes esse ideas chimæricas satis cuivis attendenti manifestum arbitror. Præterea, cum id quod nusquam est aut fuit, omninò nihil sit, quî, quæso, illius, quæ aut qualis oriri in mente nostra idea posset? Num ulla nihili similitudo excogitari potest? Quin potiùs hoc ipso, quod idea alicui, putà ideato sive exemplari suo, similis esse debeat, quatenus illud represantat, rei quæ nusquam est aut fuit, id est, nihili ideam esse non posse evidentissimum videtur. Deinde & hoc notandum, licet existentiam in creaturis aliquo modo & ratione ab illarum essentia distingui posse concedam, nunquam tamen essentiam absque existentia in rerum natura inveniri aut esse posse. Et reverà, si existentia ad essentiam creaturæ non pertineat, ut Cartesius hic sentire videtur, utique & esse creatura absque eo, quod ad eam non pertinet, aut eandem non constituit? Corpus non pertinet ad essentiam mentis, rectè ergò absque corpore mentem existere posse colligitur. Si tamen putet Cartesius, essentiam creaturę à nobis concipi posse, licet actu non existat in rerum natura, ut Rosa Hyeme, siquidem necessariam existentiam creatura non habet, haud repugno; ubi tamen hoc addiderim, creaturam non existentem, ut rosam hyeme, ne quidem creaturam dici philosophicè posse.

QUÆSTIO XIV.

An & quomodò idea una alterâ sit perfectior.

De hac re ità porrò differit Cartesius. §. XVII. *Ulterius verò considerantes ideas, quas in nobis habemus, videmus quidem, illas, quatenus sunt quidam modi cogitandi, non multùm à se mutuò differre, sed quatenus una aliam rem, alia aliam repræsentat, esse valde diversas; & quò plus perfectionis objectiva in se continent, eò perfectiorem ipsarum causam esse debere. Nam quemadmodùm, si quis in se habet ideam alicujus machinæ valde artificiosæ, meritò quæri potest, quanam sit causa à qua illam habet; an nempe viderit alicubi talem machinam ab alio factam; an mechanicas scientias tam accuratè didicerit, anve tanta in eo sit ingenii vis, ut ipsam nullibi unquam*

 visam

visam per se excogitare potuerit? Totum enim artificium quod in idea illa objectivè tantum, sive tanquam in imagine continetur, debet in ejus causa, qualiscunque tandem sit, non tantùm objectivè sive repræsentativè, saltem in prima & præcipua, sed reipsa & formaliter aut eminenter contineri. Ubi primò notandum occurrit, quod ideas *modos cogitandi* appellat Cartesius; Cùm tamen, si accuratè philophari velimus, ideæ non modi sint cogitandi, sed vel cogitationes ipsæ, vel species in mente cogitando productæ, eique impressæ atque inhærentes. Quod ut intelligas, nota solummodò species sive imagines in speculo, quæ ibidem à corporibus objectis causantur, ut notum. Ut enim imago se habet ad illius corpus, ità se habet idea ad objectum quod repræsentat, aut cujus idea esse in mente dicitur. Præterea, quemadmodum omnis actio suum habet terminum, ut, calefactio calorem, & illuminatio lumen, &c. perinde & intellectionem sive cogitationem terminum suum in mente habere certum est. Hic autem terminus vocatur *Conceptus formalis*, *Verbum mentis*, *idea*, *species impressa* vel etiam *expressa*, *imago*, &c, Interim & *modos cogitandi* varios lubens admiserim, veluti si quis celeriter vel tardiùs rem percipiat, benè vel malè, &c. *Cogitare* ergò, *percipere*, *judicare*, &c. actiones sunt; at *benè* vel *malè* cogitare, *celeriter* vel *tardè* judicare, percipere, modi sunt.

Quod verò deinceps magnam inter Ideas diversitatem advertit Cartesius, unamque plus perfectionis objectivæ quam alteram continere, verissimum est, & diligenter notandum. Quemadmodùm enim una species aliâ nobilior dicitur in speculo, quatenus nobilius objectum repræsentat; ità quoque negari haud potest, quin una mentis idea sit objectivè perfectior alterâ, quatenus perfectius objectum eâ mihi repræsentatur. Similiter & Scientiam nobilioris objecti aliâ de ignobiliori præstantiorem dicimus. Hoc ergò posito, de illa perfectione meritò quæri posse docet Cartesius, à qua causa sit profecta. Fatendum namque eam proficisci vel à mente ipsa cogitante, vel ab objecto quod cogitatur. Non prius, quia eadem est mens, quæ diversas rerum diversissimarum habet cogitationes, ideasque illas in se recipit; sequitur ergo perfectionem hanc ob objectorum perfectione proficisci. Quemadmodum etiam quod una imago in speculo aliâ præstantior sit, non speculo, sed objectis attribuendum esse apparet. Cum igitur nullum Ens perfectius Deo cogitari queat, quia est Ens infinitum & omnimodò perfectum, euidens fit Ideam quoque ipsius perfectissimam esse, cum eâ Ens infinitum repræsentetur, sive tale, quod omnem perfectionem cogi-

cogitabilem perfectiſſimo modo contineat. Hæc autem perfectio, quatenus in objecto continetur *realis* ſive *formalis* Carteſio dicitur, quatenus verò eſt in illius idea, haud malè *objectiva* appellatur.

QUÆSTIO XV.
An Idea Dei in nobis à Deo ſit producta?

Affirmativam cum Carteſio veriſſimam, ſatiſque ex dictis patere arbitror: Sic autem de hac re ipſe progreditur. §. XVIII. *Sic, quia Dei, ſive Entis ſummi ideam habemus in nobis, jure poſſumus examinare, à quâ nam cauſa illam habeamus; tantâmque in ea immenſitatem invenimus, ut planè ex eo ſimus certi, non poſſe nobis illam fuiſſe inditam, niſi à re, in quâ ſit revera omnium perfectionum complementum, hoc eſt, niſi à Deo realiter exiſtente. Eſt enim lumine naturali notiſſimum, non modò à nihilo nihil fieri; nec id quod eſt perfectius ab eo, quod eſt minus perfectum, ut à cauſa efficiente & totali produci; ſed neque etiam in nobis ideam ſive imaginem ullius rei eſſe poſſe, cujus non alicubi, ſive in nobis ipſis, ſive extra nos, Archetypus aliquis, omnes ejus perfectiones reipſa continens, exiſtat. Et quia ſummas illas perfectiones, quorum ideam habemus, nullo modo in nobis reperimus, ex hoc ipſo rectè concludimus, eas in aliquo à nobis diverſo, nempe in Deo, eſſe; vel certè aliquando fuiſſe; ex quo evidentiſſimè ſequitur, ipſas adhuc eſſe.* Quæ profectò ſatis philoſophicè procedunt. Sicut enim nullus in ſpeculo puro apparere poteſt color, qui non ſit in corpore ipſi objecto, ità nec ulla in Idea Dei perfectio objectivè eſſe poteſt, quæ non formaliter ſit in Deo illius exemplari ſive Archetypo. Neque præter Deum alia cauſa excogitari poteſt, quæ hujuſmodi perfectionem formaliter contineat; Omnis enim creatura finita eſt & perfectionis limitatæ. Cum igitur perfectio objectiva à perfectione formali cauſetur, nullâque in creatura ſit perfectio formaliter infinita, eam in ſolo Deo eſſe evidenter conſequitur, adeóque & ab eo ſolo in mente noſtra perfectionem infinitam objectivè, id eſt, Ideam Dei, cauſari potuiſſe. Unicum tamen & hic notandum occurrit, quod hic fatetur Carteſius, *nullius rei imaginem ſive ideam in nobis eſſe poſſe, cujus non alicubi, ſive in nobis ipſis, ſive extra nos, Archetypus aliquis, omnes ejus perfectiones reipſa continens exiſtat*; Cùm tamen paulò antè §. XVI. dixiſſet, nos aſſuetos eſſe *etiam varias rerum ideas, quæ nuſquam ſunt, aut fuerunt, ad arbitrium effingere.* Quæ, quomodò inter ſe conveniant, ipſi Carteſiani viderint. Nos ſententiam noſtram ſupra ad eum locum explicuimus, *quæſt.* XIII.

QUÆSTIO XVI.
Qualis sit nostra de Deo cognitio?

Sententiam suam explicat Cartesius §. XIX. his verbis: *Quamvis enim illas* (summas Dei perfectiones) *non comprehendamus, quia scilicet est de natura infiniti, ut à nobis, qui sumus finiti, non comprehendatur; nihilominus tamen ipsas clarius & distinctius quam ullas res corporeas intelligere possumus, quia cogitationem nostram magis implent, suntque simpliciores, nec limitationibus ullis obscurantur.* Ad hujus quæstionis intelligentiam notandum est, cognitionem naturalem de Deo veram esse, siquidem per illam non falsus aliquis Deus, sed verus cognoscitur. Quæcunque enim de Deo argumenta ex natura deducuntur, de vero Deo concludunt. Omnis ergo naturalis Dei cognitio vera sit necesse est, cum alioquin non cognitio, sed error esset. Jam verò de hac nostra Dei cognitione insuper quærendum venit, qualis illa sit? Hoc ut intelligatur, nota cognitionem aliam esse comprehensivam, perfectam, & adæquatam, aliam apprehensivam, imperfectam seu inadæquatam. Cognitio perfecta, adæquata seu comprehensiva mihi dicitur, qua tota rei essentia perfectè & adæquatè cognoscitur, ità ut nihil ejus lateat cognoscentem. Cognitio verò imperfecta vocatur, qua non tota (ut ità loquar) essentia perfectè & adæquatè cognoscitur, sed imperfectè, & quasi pars illius tantùm. Cognitio comprehensiva & adæquata, utrum in hac vita detur extra mentem divinam prorsus incertum est; Licet enim multas veritates de re aliqua percipiam, (Ex. gr. Solem habere vim calefaciendi, & illuminandi) semper tamen dubitari potest, utrum non plures de eo sint scibiles. Omnis proinde nostra de Deo cognitio est apprehensiva tantùm, adeóque imperfecta & inadæquata, vera tamen & bona. Sicut enim ad veram cognitionem de re aliqua, putà Triangulo, sufficit percipere aliquam de ea veritatem, veluti quod sit figura tribus lineis comprehensa; etsi aliæ veritates, quæ de ipso haberi possunt, ignorentur, veluti quod habeat tres angulos æquales duobus rectis, &c. ità etiam vera potest esse de Deo cognitio, si modò aliqua veritas ipsi essentialis percipiatur. Quamvis autem omnis nostra de Deo cognitio sit apprehensiva tantùm & imperfecta, ausim tamen affirmare cum Cartesio perfectiones Dei nos clarius & distinctius intelligere, quam ullas res corporeas. Perfectiones enim Dei simpliciores sunt & puriores, nec ullis limitationibus involutæ; at verò creaturarum

rum & corporum qualitates admodùm sunt intricatæ, & vel prorsus ignorantur, vel quæcunque cognoscuntur ferè relativæ sunt, adeoque absolutam veritatem vix habere, ut alibi fusius à me probatum est.

QUÆSTIO XVII.

An argumentum ab Idea Dei desumptum, ad existentiam Dei demonstrandam novum sit, & jam tandem inventum?

Ità quidem sibi imaginari videntur Cartesiani; At verò non ita esse, facilè cuivis constare poterit, si modò consideret argumentum, quo vulgò Theologi uti solent ad existentiam Dei probandam ab hominum conscientiis deductum, vel etiam à testimonio omnium gentium, quibus, ut vel maximè barbaræ sint, hæc communis persuasio insideat, esse aliquem Deum. Quæ enim hæc conscientia, aut omnibus impressa mentis persuasio esse potest, quam Lumen illud rationis, quo Deum esse percipimus; vel etiam ipsa illa mentis Idea, quæ nobis Deum esse repræsentet? Cùm enim Theologia naturalis, quam omnes saltem Orthodoxi concedunt, alia sit immediata sive congenita, alia mediata sive acquisita, certè congenitam illam sive immediatam nihil aliud esse manifestum mihi videtur, quam ipsam hanc, de qua nunc agimus, Dei Ideam omnium hominum mentibus divinitùs jam inde ab earum origine impressam? Quin imò à λόγῳ naturali hanc ideam in re non differre arbitramur Alii vocant *Lumen naturale, dictamen naturæ, impressas notiones*, κοίνας ἐννοίας, &c. In hunc quoque sensum rectè olim Damascenus *Lib. 1. Orthodox. fid. cap. 1.* πᾶσι γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι Θεὸν ὑπ' αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται, id est, *omnibus enim notitia, quod Deus sit, ab ipso naturaliter insita est.* Non possum, quin hic adscribam, quæ hac de re luculenter tradit Clar. Voetius, *disp. 11. de Atheismo, Thes. IV. An detur cognitio Dei naturalis congenita? Resp. Sunt qui omnem Theologiam naturalem negant tam congenitam, quam acquisitam; Et sic hodie Sociniani. Nostri communiter ex Rom. 1. 18. cum 11. 15. & Joh. 1. 9. esse Theologiam innatam, hoc est, statuunt* κοινὰς ἐννοίας *seu notiones innatas, latens sc. rationis & religionis semen naturale, quod se habeat ad modum habitus principiorum: qui in adultis in actum educitur, & unde actus Theologiæ elicitur absque demonstratione, percepta modò terminorum apprehensione: haud aliter ac primorum principiorum veritas suo lumine radiat, & in mentem nostram se effundit, simulac enunciationis termini percipiuntur: adeò ut nullius hominis adulti mens ab actuali istius veritatis coruscatione & sensu ad explica-*

plica-

plicationem & perceptionem terminorum omninò possit esse libera. Et paulò inferiùs : *Consistit autem hac facultas, seu vis, seu aptitudo facultatum rationalium, seu lumen naturale in eo, quod intellectus veritatem principiorum potest sine ullo labore, pravio studio, aut ratiocinatione comprehendere; & positis ponendis* (*Cognitione sc. terminorum*) *de facto sic comprehendit, ex naturali quadam necessitate & insito sibi pondere in hunc veritatis sensum atque assensum delatus & inclinans: haud aliter ac voluntas, ex naturali quadam necessitate, sine electione pravia appetit bonum, ut sic, aut ultimum finem; Et ut oculus sanus & apertus Lumen aut visibile quodcunque ingestum aut objectum, non potest non videre; Et certè requirit hoc natura primorum principiorum, ut non probentur sed sumantur.* Præterea ibid. : *quod si quem infantem in solitudine educari contingat, nec unquam terminos istius axiomatis,* Est Deus, *illi ab alio exponi, eum tamen insitá sibi ἀγχινοίᾳ, sed non absque pravia, quamvis non tam operosa, observatione, inductione, & ratiocinatione, actualem illam cognitionem* (quod sit Deus) *eliciturum putamus.* Constat ergò hoc argumenti genus ad existentiam Dei demonstrandam non esse novum, aut recens à Cartesio excogitatum, sed antiquum & vulgare, quamvis interpolatum, aliisve terminis propositum nunc videatur. Tota enim hujus argumenti vis in eo duntaxat consistit, quod ejusmodi idea sive percipiendi vis & facultas in mente esse neutiquam posset, nisi esset Deus, qui eam tanquam notam sui menti impresserit; siquidem tantum ad minimum perfectionis in exemplari sive archetypo secundum esse formale esse debet, quantum in ipsius imagine sive idea repræsentatur, id est, quantum objectivè mens ipsa continet. A quo enim mens nostra, quæ finita est, & perfectionis admodùm limitatæ, facultatem percipiendi Ens infinitum habere posset, nisi à tali causa, quæ infinitatem in se, sive perfectionem infinitam formaliter contineret, id est, quæ sit Deus?

QUÆSTIO XVIII.

An naturali lumine demonstrari possit, nos à Deo esse conditos?

Sententiam suam explicat Cartesius, §. 111. his verbis: *Quærendum adhuc est, à quonam simus nos ipsi, qui summarum Dei perfectionum ideam in nobis habemus. Nam certè est Lumine naturali notissimum, eam rem quæ novit aliquid se perfectius, à se non esse: dedisset enim ipsa sibi omnes perfectiones, quarum ideam in se habet; nec proinde etiam posse ab ullo esse, qui non habeat in se omnes illas perfectiones, hoc est, qui non sit Deus.* Nempe ex eo, quod

Entis

Entis perfectissimi in nobis ideam advertamus, concludit, nos à nobis ipsis haud factos esse, sed ab alio, siquidem, si nos nostri ipsorum authores seu factores fuissemus, nobismet ipsis eam non denegassemus perfectionem, quam jam mente nostra percipimus. Et hinc porrò infert, nos ab ullo alio factos esse haud posse, nisi ab eo, qui in sese omnes illas perfectiones formaliter contineat, quique proinde sit ipse Deus. Quæ sanè argumentatio satis est ingeniosa, quæ tamen ut clarior evadat, notandum, lumine naturæ sive per se notum esse, nihil dare alteri posse, quod ipsum non habet. Deinde, sibi unumquemque esse proximum, tantumque proinde daturum, quantum potest; Jam verò, si homo esset à se ipso, & ab alio independens, utique & illimitatus esset atque infinitus, adeòque ipse Deus. Cum igitur admodùm limitatus sit homo & finitus, utique & ipsum ab alio esse intelligitur. Cúmque porrò homo in mente sua, tanquam in speculo quodam contemplatur perfectiones infinitas objectivè idque modo simplicissimo, utique dari aliquod Ens necesse est, in quo istæ perfectiones formaliter reperiantur, id est, quod sit ipse Deus. Si in speculo imaginem quandam artificiose constructam variisque coloribus contextam contemplatus fueris, nonne in promptu erit colligere, corpus aliquod extra speculum existere, in quo formaliter omnes istæ perfectiones & colores existant, quæque objectivæ istius perfectionis sive imaginis in speculo sit causa? Eadem ergò ratione ex Idea Dei in nobis existente formalis ejusdem extra mentem existentia percipitur, ab eôque nos perfectionem istam objectivam accepisse, cum ab alio objectiva ejusmodi perfectio causari non queat.

Dices fortè, sequi hinc quidem perfectissimi Entis ideam à Deo mihi esse impressam, non verò me ab ipso esse productum; sicuti imago quidem in speculo à corpore ipsi opposito causatur, non verò ipsum speculum. Verùm enimverò jam ante probatum est, Mentem à se ipsa esse non posse, idque ex imperfectione illius & limitatione evidenter percipi. Cùm igitur à se-ipsa mens mea non sit, alia extra ipsam quærenda est causa; quæ præter Deum cogitari non potest. Quia enim Mens spiritus est indivisibilis & Ens simplicissimum, utique ex nihilo eam productam esse intelligitur. Potentia autem, qua ex nihilo producatur Ens, infinita est, adeòque in solo Deo esse potest; ità ut vel ex eo admodùm sit verisimile, Deum mentem creando imaginem sui ipsi indidisse; quemadmodùm artifex ingeniosus operi suo signum quoddam sive sigillum imprimit, quo à tali artifice opus hoc productum esse co-

gnoſcatur; Et, ſi Theologicè loqui velimus, ut homo mente ſuâ ad Deum aſcenderet, ejuſque naturam quodammodò in terris exprimeret, virtuteſque imitari conaretur. Quemadmodùm & Scriptura, hominem ad ſimilitudinem Dei eſſe conditum, ipſiuſque imagine donatum, docet.

QUÆSTIO XIX.

An ex duratione noſtri exiſtentia Dei demonſtrari poſſit?

Affirmativam cum Carteſio veram judico. Eam autem ita explicat §. XXI. *Nihilque hujus demonſtrationis evidentiam poteſt obſcurare; modò attendamus ad temporis, ſive rerum durationis naturam, quæ talis eſt, ut ejus partes à ſe mutuò non pendeant, nec unquam ſimul exiſtant, atque ideò ex hoc, quod jam ſimus, non ſequitur nos in tempore proximè ſequenti etiam futuros, niſi aliqua cauſa, nempe eadem illa, quæ nos primùm produxit, continuo veluti reproducat, hoc eſt, conſervet. Facilè enim intelligimus, nullam vim eſſe in nobis, per quam nos ipſos conſervemus, illumque in quo tanta eſt vis, ut nos à ſe diverſos conſervet, tantò magis etiam ſe-ipſum conſervare, vel potiùs nulla ullius conſervatione indigere, ac denique Deum eſſe.* Partes, vel quaſi partes temporis, ex quibus quaſi componi tempus intelligimus, Momenta vocare ſolemus, quæ ſi præterierint. Præteritum, ſi ſequantur, Futurum tempus, nuncupantur. Eſt autem Momentum, quod præſens dicitur, illa durationis particula, qua terminatur præteritum & incipit futurum. Cùm igitur momentum futurum non pendeat à præſenti, ut nec præſens à præterito; rectè hinc colligitur, ex eo, quod jam in præſenti exiſto, non ſequi me exſtiturum in futuro; quemadmodùm nec quod jam exiſto, ab eo quod olim exſtiti. Quia ergò facile advertimus in nobis potentiam non eſſe, qua nos in futurum conſervemus, (tunc enim ſemper permaneremus) manifeſtum evadit etiam in præſenti nos cauſa aliqua, quæ nos in eſſe conſervet, indigere. Cúmque non minor ad conſervandum, quam ad producendum, Ens potentia requiratur (Eſt enim conſervatio continua quaſi reproductio) utique Deum eſſe, qui nos continuò conſervet, clariſſimè evincitur. Conſtat proinde ex duratione noſtri Exiſtentiam quoque Dei haud malè à Carteſio demonſtratam eſſe.

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

Utrum ex Idea Dei præter existentiam aliæ quoque ejusdem perfectiones demonstrari queant?

Affirmativam similiter cum Cartesio tenemus. Sic autem ipse de hoc negotio, §. XXII. *Magna autem, in hoc existentiam Dei probandi modo, per ejus scilicet ideam, est prærogativa, quod simul, quisnam sit, quantum natura nostra fert infirmitas, agnoscamus: Nempe ad ejus Ideam nobis ingenitam respicientes, videmus illum esse æternum, omniscium, omnipotentem, omnis bonitatis veritatisque fontem, rerum omnium creatorem, ac denique illa omnia in se habentem, in quibus aliquam perfectionem infinitam, sive nulla imperfectione terminatam, clarè possumus advertere.* Diversas multorum ideas à nobis pro arbitrio fingi posse reipsa experimur, Ideam verò Dei talem in nobis advertimus, quæ mutari nequeat. Hominem concipere possum magnum vel parvum, doctum vel indoctum, sapientem vel stultum, vivum vel mortuum &c. at verò, Deum absque perfectione aliqua vel minima, seu cum imperfectione aliqua concipi non posse, clarè intelligo. Cùm ergò Idea Dei omnes necessariò perfectiones objectivè contineat, utique & æternitatem, seu infinitam durationem, infinitam scientiam seu omniscientiam, immensitatem, infinitam potentiam sive omnipotentiam, bonitatem, veritatem justitiam, omniaque talia attributa, quæ de formali suo aliquam bonitatem sive perfectionem involvunt. eâ contineri manifestum evadit. Cùm igitur nihil in imagine esse possit aut in idea objectivè, quod non longè perfectius & formaliter sit in suo exemplari, utique, omnia ista attributa perfectissimo modo Deo convenire, evidenter apparet.

QUÆSTIO XXI.

An Deus sit corporeus; item, an sensu præditus?

Ex dictis nihil in Deo imperfectionis concipi posse apparet, jam verò corpus aut corporeum esse aliquam imperfectionem seu limitationem involvere facilè probatur, adeóque Deo attribui absolutè nequit. Corpus enim illud esset vel simplicissimum seu indivisibile, vel compositum sive divisibile. Corpuscula indivisibilia sive atomos omnium corporum naturalium imperfectissima esse vel ex eo constat, quod ex iis tanquam partibus omnia componantur. Corpora verò composita sive divisibilia

esse imperfecta ex eo patet, quia suam habent terminationem; cúmque composita sint ex partibus finitis, utique non nisi finitam & limitatam perfectionem ea habere manifestum est. Prætereà, cum compositum ab alio compositum sit, utique ab eodem & resolvi in partes, atque dividi posse sequitur: hæc autem imperfectio magna est & impotentia, adeoque Deo nequaquam attribuenda. Corpus ergò Deo tribui non potest. Verè ergò & hic Cartesius, §. XXIII. *Nam sanè multa sunt, in quibus etsi nonnihil perfectionis agnoscamus; aliquid tamen etiam imperfectionis sive limitationis deprehendimus; ac proinde competere Deo non possunt. Ità in natura corporea, quia simul cum locali extensione divisibilitas includitur, estque imperfectio esse divisibilem, certum est, Deum non esse corpus.* Ubi rectè quidem Deum corpus non esse Cartesius docet, prout jam suprà quoque probatum est. At verò, in natura corporea simul cum locali extensione etiam divisibilitatem includi, non adeò perspicuum. Extensum enim esse, in propria significatione, non omnibus corporibus competere, adeóque nec ex natura corporis fluere, alibi à me notatum; in sensu verò Cartesiano, prout significat non esse in spatio minimo aut indivisibili, Deo aut spiritibus negari non potest, ut alibi quoque ostensum. Neque enim quispiam Deum spatio minimo aut indivisibili inclusum esse somniaverit unquam. Divisibilitatem similiter non fluere ex natura corporis, sed compositionis certum est. Simplicissima corpuscula indivisibilia sunt, ut sua luce notum; siquidem corpora divisibilia, hoc ipso quod divisibilia sunt, composita esse necesse est.

De sensu verò distinguendum arbitror. Si enim *sentire* sumatur pro perceptione vel receptione organica, quæ fit mediante organo aliquo corporeo, oculis, auribus, manibus, &c. manifestum est ex dictis ejusmodi sensationes Deo non competere, adeòque & istoc sensu Deum nequaquam sentire. Si verò *sentire* simpliciter sumatur pro simplici objecti corporei perceptione seu cognitione, sic nullam sentiendi vocabulo imperfectionem includi manifestum est, adeóque & verissimè Deo competere. Et hoc sensu etiam Deus videre, & audire passim, in Sacris literis dicitur, Psal. XXXIII. 13. *E cœlis intuetur Jehova, videt omnes filios hominis*, &c. & XCIV. 9. *An Plantator auris non audiat? aut formator oculi an non intueatur?* Jes. LXIV. 1. *Intuere è cœlis, & vide ex habitaculo sanctitatis tua*, &c. Et hinc jam quoque patet, quid de sequentibus Cartesii verbis judicandum. *Et quamvis*, inquit, *in nobis & perfectio quadam sit, quod sentiamus, quia tamen in omni sensu passio est, & pati est ab aliquo pendere, nullo modo Deum sentire putandum est, sed tantummodò*

tummodò intelligere & velle: Neque hoc ipsum ut nos, per operationes quodammodo distinctas, sed ità, ut per unicam, semperque eandem simplicissimam actionem, omnia simul intelligat, velit & operetur. Quod in omni sensu passio fit, dicitur quidem à Cartesio, non probatur. Et si simplex rei perceptio passio, utique & ipsa intellectio passio dicenda, quo sensu & alibi Aristoteles dixit, *Intelligere esse pati quoddam. Lib* III. *de anima, cap.* IV. Nos quandò sentiendi facultates cum Scriptura Deo attribuimus, nihil aliud per eas intelligimus quam ipsam illam essentiæ divinę perfectionem sive actionem simplicissimam, qua objecta materialia ipsum percipere aut cognoscere apprehendimus. Ità ut sentiendi vocabulum hic non passivè aut receptivè, sed active duntaxat sumendum sit, quo sensu etiàm suprà ipsemet Cartesius solam mentem sentire asseruit §. IX. Et hoc quoque sensu Angelos, Mentesque humanas, sentiendi virtute præditas esse alibi ostensum. Quamvis & hic magna notari possit differentia, quod Angeli, mentesque humanæ possint esse in potentia, ut loquuntur, ad intelligendum: speciesqué ab objectis recipiant; Deus verò natura sua omniscius omnia actu cognoscat, nullasqué aliunde species recipiat, ut in Psychologia mea, sive *Exerc. Phil. Lib.* IV. *quæst.* XVIII. notatum est.

QUÆSTIO XXII.
An Deus non velit malitiam peccati?

Huic quæstioni tractandæ occasionem exhibent postrema §. XXIII. verba, ubi sic loquitur Cartesius: *Omnia* (inquit, sc. intelligit, vult, & operatur Deus) *hoc est, res omnes: neque enim vult malitiam peccati, quia non est res.* Si per *Rem* intelligat Cartesius quodcumque non est omninò nihil, sed aliquid, utique peccatum etiam formaliter sumptum, sive malitiam & improbitatem esse rem, id est, aliquid, & non merum nihil, facilè probari potest, tùm quia maximè inter sese peccata differunt, tùm etiam quia gravissima habent effecta, iram Dei accendunt, pœnas commerentur, &c. variaque habent prædicata, quæ profectò de nihilo dici non possunt. Ac proinde si omnis res, sive quodcunque non est merum nihil, sed aliquid, sit voluntatis divinæ objectum, jam nulla amplius apparet ratio, ob quam ab eo peccatum ejusve malitia secludatur. Si verò per *Rem* intelligat Cartesius Ens, quod veram & positivam habet essentiam, utique quamplurima Deum velle manifestum est, quæ Entia non sunt, ut Accidentia, modi, actiones,

privationes, &c. Quia tamen quæstio de Voluntate Dei circa peccatum est gravissima, sententiam nostram conclusionibus aliquot hoc loco determinare statutum est.

Dico igitur primò, *Deus non vult peccatum voluntate*, ut loquuntur, *complacentiæ ac delectationis*, prout docetur Psal. v. 5. 6. & XLV. 8. II. *Deus non vult peccatum voluntate præcepti*, id est, non præcipit, quia vetat peccata, & prohibet, ut notum. III. *Deus non vult peccatum formaliter sumptum efficere*, adeoquè nec vitiositatis aut malitiæ author ullo modo dici potest. IV. *Deus non vult peccatum sub ratione peccati*, seu, ut alii loquuntur, *propter se & ultimatè*; sensus est, Malitiam non esse rationem formalem, ob quam Deus peccatum fieri velit, sed aliud quid, nempe bonum, putà illustrationem suæ gloriæ. V. *Deus tamen vult peccatum fieri, ipso sc. permittente*, non quidem sub ratione mali, ut iam dictum est, sed sub ratione boni, quatenus nempe peccatum misericordiæ aut justitiæ divinæ illustrandæ inservit. Si enim peccatum fieri nollet Deus, aut permittere, impediret; cùm ergò nec impediat, nec impedire velit, signum est quod permittere, adeoquè & fieri positivè velit. Prætereà, Scit ab æterno Deus peccatum in tempore futurum esse; ergò ut fieret decrevit, & vult, quia antecedenter ad decretum futurum nihil dici potest. Manifestum ergò est, etiam peccatum formaliter sumptum verissimè objectum divinæ voluntatis dici posse.

QUÆSTIO XXIII.

De Ordine scientiarum; sive qua Methodo sit Philosophandum?

Cartesius à Deo in Philosophia incipiendum esse docet his verbis, §. XXIV. *Jam verò, quia Deus solus omnium quæ sunt aut esse possunt, vera est causa; perspicuum est optimam philosophandi viam nos sequuturos, si ex ipsius Dei cognitione rerum ab eo creatarum explicationem deducere conemur, ut ità scientiam perfectissimam, quæ est effectuum per causas, acquiramus. Quod ut satis tutò & sine errandi periculo aggrediamur, ea nobis cautela est utendum, ut semper quam maximè recordemur, & Deum authorem rerum esse infinitum, & nos omninò finitos.* Equidem, cum Deus nobilitate & præstantia omnes creaturas longo post se relinquat intervallo, quia infinitus est, creaturæ verò omnes finitæ, utique istac ratione primum Deo, Enti primò & supremo, locum competere manifestum est. At verò cum Methodus naturalis exigat, ut à simplicioribus & maximè universalibus incipiamus iisque principiis sine quibus alia explicari non possunt;

possunt; Et cognitio Dei ejusque perfectionum multorum aliorum magis generalium intelligentiam requirat, utique de iisdem prius agendum esse ordo naturæ postulare videtur. Haud ergò præter operæ pretium me hoc loco facturum arbitror, si methodum philosophandi, seu generalem scientiarum distributionem, alibi à me propositam, hoc loco proposuero. Ea autem sic habet.

Cùm Scientia sit alicujus objecti scientia, utique pro objectorum ratione Scientiam dividi posse apparet. Cùm ergò nihil in rerum natura excogitari queat, quod non sit vel Ens, vel aliquid Entis, sive ad Ens pertinens; hinc primam vel maximè abstractam omnium Scientiam ὀντολογίαν sive ὀντωλογίαν vocari posse constat, vulgo *Metaphysica* appellatur. Cùm vero *Ens* optimè dividatur in *immateriale* sive *spirituale*, & *materiale* sive *corporeum*; hinc abstractissimam & summam omnium Scientiam dividi posse existimo in *Pneumaticam* & *Somaticam*, ut illa *spiritualium*,, hæc verò *corporum* naturam explicet. *Ens immateriale* sive *Spiritus* est vel *Deus*, vel *Angelus*, vel *Anima rationalis*. *Pneumatica* igitur rectè distribuitur in *Theologiam*, *Angelographiam*, & *Psychologiam*. *Theologia* Dei, *Angelographia* Angelorum, *Psychologia* animæ notitiam exhibet. Quia verò in Anima rationali duæ imprimis faculates reperiuntur, *Intellectus* & *Voluntas*, utique illius operationes in *Logica*, hujus verò in *Ethica* convenienti methodo explicandas judico. Atque ità tandem *Pneumaticâ* absolutâ ad *Somaticam* progrediendum, quæ corporis notitiam tradit. Cùm verò Corpus considerari possit vel ut naturale, vel ut artificiale, vel ut externa delineatione figuratum, vel ut morbis obnoxium & sanabile; hic iterum *Somatica* dividi posset in *Physicam*, *Mechanicam*, *Mathematicam*, & *Medicinam*. *Physica* enim internam corporis naturam explicat, *Mechanica* externam & artificiosam corporis constructionem docet; *Mathematica* externa solummodò lineamenta & figuras contemplatur; *Medicina* denique sanitati corporis prospicit, & morbos tollit.

QUÆSTIO XXIV.

An credenda quæcunque à Deo sunt revelata, etsi non clarè intelligantur?

Affirmativa verissima est, adeóque & verè hic Cartesius §. xxv. *Ità si forte nobis Deus de seipso, vel aliis aliquid revelet, quod naturales ingenii nostri vires excedat, qualia jam sunt Mysteria incarnationis & Trinitatis, non*

non recusabimus illa credere, quamvis non clarè intelligamus; Nec ullo modo mirabimur, multa esse, tùm in immensa illius natura, tùm etiam in rebus ab eo creatis, quæ captum nostrum excedant. Hæc omnia satis rectè. Cùm enim Deum infinitum agnoscamus, ejusque potentiam immensam, & potestatem illimitatam atque absolutam, multa certè in eo esse, fierique ab eo posse, manifestum est, quæ ingenii nostri vires longissimè excedant. Et hinc dicere non ausim, quod quibusdam in usu est, Deum hoc vel illud non posse; à cujusmodi me semper locutionibus abhorruisse & maximè alienum fuisse, ingenuè fateor. Cùm enim plura possit Deus, quam mens nostra concipere, utique haud ausim vix aliquid Deo impossibile statuere. Licet enim ego, pro ingenii mei tenuitate, id non percipiam, quia tamen eum plura posse intelligo, qua ratione id eum non posse defi niam? Ità ut mirari subeat quod sequenti Libro asserere Cartesius non dubitarit §. XXII. *Mundos, quod si omnino infiniti essent, ex alia tamen materia constare non posse; Neque plures, sed hunc unum tantùm esse posse.* Si enim alia materia, aut plures nequeant esse Mundi, utique nihil aliud è Deo fieri aut creari potuit, quam jam ab ipso factum aut creatum est. Mirum, quod homo cætera acutissimus non adverterit hac ratione quam maximè limitari potentiam Dei, cùm non nisi materiam conditam per eam condi potuisse asserat. *Cùm enim*, ut ipsius Cartesii verbis utar mox sequentibus, §. XXVI. *simus finiti, absurdum esset nos aliquid de ipso determinare, atque sic illud quasi finire ac comprehendere conari.* Hæc, quomodò cum suprà dictis conveniant, ipsi viderint Cartesii discipuli.

QUÆSTIO XXV.

An infinitum & Indefinitum differant?

Infinitatem ab intellectu creato & finito comprehendi non posse ex dictis constat. Cartesius, quia reverà infinitatem rebus conditis attribui non posse advertit, neque tamen earum aliquot ullos fines percipit, distinctionem quandam infinitum inter & indefinitum fabricatus est, easque non quidem infinitas, ut indefinitas tamen spectandas esse existimat. Hæc autem ipsius de hoc negotio sunt verba, §. XXVI. *Nos autem illa omnia, in quibus sub aliqua consideratione nullum finem poterimus invenire, non quidem affirmabimus esse infinita, sed ut indefinita spectabimus. Ità quia non possumus imaginari extensionem tam magnam, quin intelligamus adhuc majorem esse posse, dicemus, magnitudinem rerum possibilem*

esse

esse indefinitam. Et quia non potest dividi aliquod corpus in tot partes, quin singula adhuc ex his partibus divisibiles intelligantur, putabimus, quantitatem esse indefinite divisibilem. Et quia non potest fingi tantus stellarum numerus, quin plures adhuc à Deo creari potuisse credamus, illarum etiam numerum indefinitum supponemus; atque ità de reliquis. Itane errare nos doceat Cartesius, dum quomodò ab errandi periculo nos eximat, edocere conatur. Quî enim ut indefinita spectabimus aut supponemus, quæ indefinita non sunt? Dico ergò nullas res creatas à nobis fingi posse, quas non finitas esse & limitatas evidenter percipimus. Quicquid enim infinitum ens non est, illud finitum esse necesse est; Medium non datur, sicut neque inter Creatorem & creaturam. Illud enim, quod indefinitum dicitur Ens, vel creatum erit, vel increatum; posterius non concedet ipse Cartesius: si verò prius dixerit, utique & limitatum atque finitum esse consequitur.

Verum quidem est, nullam magnitudinem tam esse magnam, quin adhuc major esse vel cogitari queat; at inde non sequitur magnitudinem possibilem esse indefinitam. Magnitudo namque possibilis non datur in rerum natura; sicut nec ullum Ens possibile, estque mera mentis fictio: quod enim possibile dicitur, hoc ipso non esse quid actu asseritur; quod autem actu non est, quomodò aut quo jure indefinitum Ens appellabitur? Nonne absonum foret hominem indefinitè divitem asserere, quia nemo usque adeò dives est, quin adhuc ditior fieri posset? aut indefinitè doctum, quod nemo adeò doctus, quin doctior evadere queat, & ità de plurimis? Et reverà, si propterea stellarum numerum indefinitum supponere liceat, ut vult Cartesius, quia tantus stellarum numerus fingi non potest, quin plures adhùc à Deo creari potuisse credamus; eandem utique ob rationem omnium eorum quæ sunt hominum, animalium, piscium, avium plantarum, arborum, herbarum. metallorum, lapidum, &c. numerum indefinitum supponere poterimus, atque adeò ie indefinitorum quidem numerorum numerus definiri poterit, ipseque roinde indefinitus dicendus erit. Quæ porrò hic attingit Cartesius de idefinita indivisibilitate corporis in partes, ità ut nullæ in corpore par-'s reperiantur, quæ non ulterius divisibiles sint, falsissimum est; si-iidem nihil unquam in philosophia aut certius aut verius doceri existi-o, quam dari particulas minimas, & divisionibus crebrò repetitis tan-m necessariò ad ultimam divisionem perveniendum esse, adeóque & es particulas, quæ ulteriùs dividi nequeant; ex quarum conjunctione unione omnia corpora naturalia originem habeant, ut alibi à me la-s ostensum est.

QUÆSTIO XXVI.

Utrum in Philosophia non sit agendum de Fine?

Finem haud rectè inter causas referri alibi à me demonstratum est; Si enim consideretur, prout dicitur in executione effectum potius seu causatum, quam causa dicendus; Si verò consideretur, prout est in intentione, ut ajunt, quid aliud quam ipsa efficientis seu agentis intentio dici potest? Cùm ergò quid intendat Deus aut decernat, nemo unquam mortalium scire absque revelatione possit, utique de fine Dei aut naturæ in naturalibus haud multum laborandum videtur. Siquidem non docet Philosophia, quid agere intendat, aut quem sibi in agendo finem proponat Deus, sed quomodò aut quibus causis opera naturæ ordinariò peragantur. Haud ergò malè hoc loco Cartesius, nullas unquam in Philosophia rationes circa res naturales à fine desumendas esse docet hisce verbis: §. XXVIII. *Ità denique nullas unquam rationes circa res naturales, à fine, quem Deus aut natura in iis faciendis sibi proposuit desumemus, quia non tantùm nobis debemus arrogare, ut ejus consiliorum participes esse putemus.* Quod tamen non tam strictè sumi velim, quasi nunquam de fine conjecturam facere liceret Philosopho, aut etiam rationes proferre. Quamvis enim non scientificam ex ejusmodi rationibus comparemus cognitionem, probabilem tamen (in quâ sæpè acquiescendum philosopho) ex iis fortè haurire haud erit difficile. Quin imò cum finis organi in usu illius & operatione consistat, non video quò minus Philosopho asserere liceat, oculos homini datos ad videndum, aures ad audiendum, linguam ad loquendum, pedes ad ambulandum, &c. quemadmodùm & medici singularum ferè corporis partium usus luculenter ostendere solent.

QUÆSTIO XXVII.

Utrum Deus causa possit esse erroris?

Cum Deus Ens sit absolutè perfectum, utique & veracitatem, quæ Voluntatis perfectio est, eminentissimo modo in ipso contineri, manifestum est; Et hoc sensu veteres olim Deum Αὐτοαλήθειαν dixere. Quemadmodum igitur tenebrarum causa Sol esse nequit, quia natura sua lucidus est, ità neque erroris, mendacii, aut falsitatis causa Deus esse potest, quia natura sua verax est, ut dictum. Præterea, cùm mendacium

um procedat vel ex ignorantia, vel ex errore judicii, vel ex malitia ali, quorum nihil in Deo eſſe poteſt, cum ſit omniſcius, ſummè ens, & infinitè bonus, utique erroris, falſitatis, aut mendacii cau- ipſum eſſe non poſſe colligitur. Veriſſimè ergò hoc loco Carteſius ım ſummè veracem eſſe aſſerit, omniſque luminis datorem; Undè :pugnare ait, *§.* XXIX. *ut nos fallat, ſive ut propriè ac poſitivè ſit cauſa rum, quibus nos obnoxios eſſe experimur.* Nos haud veremur affirmare, ım abſolutè & nullo prorſus modo eſſe, aut poſſe eſſe, errorum cau- ; proindéque particula illa *propriè* non erat opus; cùm nec impro- , aut cauſa per accidens (ut nonnulli loquuntur) erroris aut peccati queat, ut etiam alibi *Diſput.* XI. *de diviſione cauſæ §.* XX. XXI. à me tum eſt.

:arteſius ex eo, quod fallendi potentia nonnullum ingenii argu- tum apud homines eſſe videatur, inferri poſſe advertens, ejuſmo- ıoque in Deo potentiam admittendam eſſe, hanc difficultatem ità t, ut haud obſcure fallendi potentiam Deo attribuat, licet volun- n fallendi in ipſum cadere non poſſe aſſerat. Sed verba ipſius audia- , *§.* XXIX. *Nam*, inquit, *quamvis fortè poſſe fallere nonnullum inge- gumentum apud nos homines eſſe, videatur, nunquam certè fallendi vo- s niſi ex malitia vel metu & imbecillitate procedit, nec proinde in Deum re poteſt.* Nos verò nec voluntatem nec potentiam fallendi in Deo ɔoſſe conſtanter aſſerimus. Et reverà, ſi Deum fallere poſſe concer- r, non video quo minus & velle queat, cùm omne ipſi poſſibile ſit ım; & voluntatis divinæ objectum.

loc ergò jam agamus, ut etiam fallendi potentiam à Deo procul re- eamus, eamque perfectioni divinæ repugnare paulò accuratiùs de- ſtremus. Notandum igitur fallendi potentiam magnæ imperfe- ıis eſſe ſignum; nam, qui fallit alium, mentitur, eique pro ipſa ve- : ſpeciem duntaxat illius ſeu apparentiam obtrudere conatur. Qui :itur aliud internè ſentit, & aliud externè ſive voce ſive ſigno enun- t, adeóque à ſe-ipſo diſſentit, & quaſi duplex eſt; Cùm autem icitas & diſſenſio in Deum non cadant; quia ſummè unus & ſim- eſt, utique nec mentiendi aut fallendi in ipſo potentiam eſſe poſſe, ens evadit.

leque refert, quòd aliquandò in Sacris Literis dicatur Deus homi- :ecipere, tradere in reprobum ſenſum, errorem, &c. *Jeſ.* LXIII. *Jer.* IV. 10. *Rom.* I. 26. &c. Qui enim paulò profundiùs Theo- e ſacraria ſalutarunt, facilè intelligunt hujuſmodi loquutiones eſſe

improprias, adeóque ſano ſenſu & juxta fidei analogiam explicandas. Nempe Deus homines decipere dicitur, quotieſcunque ipſos per Pſeudoprophetas, quos ex juſtiſſimo ſuo judicio ad eos mittit, ſeduci & falli permittit, non aperiendo ipſis oculos mentis, quibus veritatem intueri valeant. In reprobum verò ſenſum, erroreſque tradere dicitur, quandò in vanis ſuis & impiis cogitationibus progredi eos ſinit, & nequaquam ab iis avertit; Quin imò, cùm impias ipſorum mentes ad omne malum proclives, ad cogitandum aut agendum efficaciter & actu præmovet, eò ferè modò, quo equum læſum & claudicantem admovendum ſeſe impellit & adigit eques. Ubi diligenter notandum eſt, non equitem moventem equum, ſed equum ipſum ab equite motum, ex inſito vitio aut infirmitate, propriæ claudicationis cauſam eſſe, ut in Theologia naturali, ſive Philoſophię meæ *Lib. 11. Exerc. xxi.* à me oſtenſum eſt. Perinde etiam non Deus, ſed homo vitioſus & corruptus hallucinationis ſuæ & erroris cauſa propriè & formaliter exiſtit.

QUÆSTIO XXVIII.

An facultas cognoſcendi homini data non poſſit falſum pro vero apprehendere?

Ex dictis colligit Carteſius, §. xxx. *Lumen naturæ ſive cognoſcendi facultatem à Deo nobis datam, nullum unquam objectum poſſe attingere, quod non ſit verum, quatenus ab ipſa attingitur, hoc eſt, quatenus clarè & diſtinctè percipitur.* Hæc ſatis obſcura ſunt; Quid enim hoc eſt, *facultatem cognoſcendi nullum unquam objectum attingere poſſe, quod non ſit verum, quatenus ab ipſa attingitur? Hoc eſt*, inquit, *quatenus clarè & diſtinctè percipitur.* An non ergò etiam à mente attinguntur ea, quæ falſa ſunt? Ecquid enim aliud attingi à mente dici poteſt, quam quatenus mens de rebus objectis judicium fert? At verò luce clarius eſt, ſæpiſſimè etiam illa, quæ falſiſſima ſunt, haberi pro veris. Conſtat ergò mentem homini à Deo datam ſæpiſſimè falli, & falſum pro vero apprehendere. Hoc autem ex mentis noſtræ imperfectione proficiſci, ejuſdemque ex peccato corruptione, lubens fateor. At verò aliud eſt cauſam illius mentis noſtræ fallibilitatis explicare, aliud verò, an talis nobis miſeris homunculis intellectus in hoc ſtatu datus ſit, rimari, ut notum.

Sed, inquit Carteſius, *meritò deceptor eſſet dicendus Deus, ſi perverſam illam ac falſum pro vero ſumentem nobis dediſſet.* Horrenda mihi hæc ſunt? Ecquis enim Deum, abſolutum omnium Dominum, conſtringat,

, ut perfectam mentem, aut intellectum falli nescium, nobis con-
it? *Nonne enim Deus est, qui mutum creavit, aut surdum, aut sensi-
valentem, aut cæcum? Exod.* IV. 11. Nonne fatendum nobis, men-
nostram ad errandum perquam esse proclivem, nosque animam
idere ab origine occœcatam, & tenebris plus quam cimmeriis na-
l involutam? Et, nunquid propterea Deum deceptorem faciemus
, quem veracissimum esse, omnisque veritatis fontem jam ante de-
nstratum fuit? Viderint jam Cartesiani, quomodò non decepto-
faciant Deum, cùm animam ab origine imperfectam obtenebratam
cecam quasi inditam nobis esse, tùm ex Theologia, tum ex vera
losophia, certum sit. Non ergò hinc tollitur, quod putat Cartesius,
*ma illa dubitatio, quæ ex eo petebatur, quod nesciremus, an fortè talis
nus natura, ut falleremur etiam in iis, quæ nobis evidentissima esse vi-
tur.* Quotiescunque enim contingit, ut fallantur homines etiam in
quæ ipsis verissima & evidentissima videbantur? Putarunt Aristo-
ci se evidentissimis demonstrasse rationibus formas substantiales,
ocant, quas tamen nullas esse, & nusquam in rerum natura suo lo-
videntissimè demonstravimus. Sunt, quibus nihil ferè evidentius
tur, quam quatuor dari ex quibus omnia componantur, elementa,
l fieri ex nihilo, solem omniaque astra circulariter circa terram mo-
, &c. Quæ tamen aliis videntur falsa. Fateor quidem ista, quæ
tati repugnant, nequaquam evidentia, nedum vera fuisse, talia ta-
ı visa ipsis fuisse existimo. Quin & ipsi rogati de iis nullo modo dubi-
: se strenuè sunt affirmaturi. Hoc tamen evidens non videri solum,
& esse cènseo, Deum nequaquam istius fallaciæ aut erroris esse cau-
, ut suprà ostensum; eam proinde in nobis, seu in mentis
ræ imperfectione quærendam esse, ex dictis apparet. Sicuti enim
ia icterico corpora evidenter flava apparent, quæ flava non sunt,
pter humorem biliosum, quo ipsius oculus suffusus est; perinde et-
haud mirum quod homini mente vitiosa & corrupta prædito non
ia ità appareant, ut revera sunt: sive quod falsa aliquandò pro ve-
b ipso apprehendantur.

i quæras, qua ergò ratione dubitatio jam dicta tollatur, erransque
liberare queat; respondeo, nec tolli dubitationem nec posse, nec
ri, cum nulla sit ipsi, qui sibi evidentia esse, quæ vera judicat, et-
i falsa sint persuadet. Neque alia via cum ejusmodi hominibus agi
e existimo, quam ut, quantum fieri potest, evidentissimis argumentis
sa veritate rei convincantur; ipsisque infirmitas rationum, quibus

 ipsorum

ipsorum opinio subnixa est, ostendatur. Hinc enim, modò rationis sint compotes & veritatis studiosi, facilè futurum arbitror, ut præjudicia sua agnoscentes, primò quidem de re, quàm anteà sibi certam & perspicuam persuadebant, dubitaturi, deinceps verò veritatem ipsam, errore sublato clarius percepturi sint. Ardentissimis quoque ad Deum precibus hic opus esse, ut oculos mentis aperiat, tenebrasque dispellat, haud est negandum. Ut enim in operibus gratiæ, ità & in naturæ cognoscendis spiritum illuminantem necessarium esse, extra omne dubium est. Quod enim in gratiæ operibus gratiæ, id in naturæ operibus naturæ lumen appellatur. Quemadmodum igitur absque lumine gratiæ supernaturalia Dei opera, ità absque lumine naturæ naturalia intelligere nequimus. Tantum igitur abest, ut hoc principio Cartesii omnes, quod ne unica quidem dubitandi causa anteà ab ipso recensita tollatur. Ecquis unquam dubitabit Mathematicus quin omnes lineæ in duas æquales partes sint divisibiles, quin in circulo nulla recta sit lineola, quin globus tangat planum in puncto indivisibili, &c. Quæ tamen ipsorum postulata à nobis non modo in dubium vocata sunt, sed & accuratè loquendo falsissima esse ostensum, ut patet ex Disputatione nostra de quadratura Circuli, habita in illustri Atheneo nostro Bredano, XXVIII. *Febr.* CIƆ IƆ CLXIII. Et Appendicis loco inserta *Phil. Lib.* VII. post *Exercit.* V.

QUÆSTIO XXIX.
Quænam sit erroris causa?

Erroris causam me jam satis accuratè explicasse, eamqué non in voluntate, ut vult Cartesius, sed in sola intellectus nostri imperfectione quærendam, existimo. Sed jam ipsum Cartesium super hoc negotio differentem audiamus; §. XXXI. *Quia verò*, inquit, *etsi Deus non sit deceptor, nihilominus tamen sæpè contingit nos falli; ut errorum nostrorum originem & causam investigemus, ipsosque præcavere discamus, advertendum est, non tam illos ab intellectu, quam à voluntate pendere; nec esse res, ad quarum productionem realis Dei concursus requiratur: sed cum ad ipsum referuntur, esse tantùm negationes; &, cum ad nos, privationes.* Nempe vult Cartesius errare esse actionem liberi arbitrii, quæ à voluntate potius, quam ab intellectu dependeat. At verò, ecquis ignoret errare mentis opus esse, & actionem judicii, qua verum esse judicamus, quod falsum est, seu falsum, quod verum? quod vel ex eo constare potest, quia nemo

mo volens errat, aut errare vult. Præterea, quoties intellectum noſtrum ad aſſenſum alicujus propoſitionis neceſſitari ſentimus, quandò pro una parte putà affirmativa rationes ſpecioſæ, & veræ apparentes adferuntur, & contrariæ ſupprimuntur? Ità quoque ſeductorum dogmatis argumentiſque multos ad errores graviſſimos, hæreſeſque ſatis pernicioſasquaſi trahi videmus; quis verò ipſos ex libero voluntatis arbitrio iſtiuſmodi errores hæreſeſve amplecti ſanus arbitretur?

Quod ſubjicit Carteſius errores ratione Dei eſſe negationes, ratione noſtri verò privationes: quâ authoritate aut ratione nitatur, profſus neſcio. Nonne qui errat, falſum habet pro vero, aut verum pro falſo; proindeque actu & poſitivè judicat, licet falsò? Qualiſcunque ergò ad quamlibet poſitivam actionem requiritur Dei concurſus, (quem egò potiùs præcurſum, præmotionem aut prædeterminationem dixerim) talem & hic requiri manifeſtum eſt. Et huc referri poſſent omnia iſta Scripturæ dicta, quibus Deum ſe poſitivè circa hujuſmodi actus mentis erroneos habere aſſeritur, vocabuliſque activis effertur; veluti quando ab ipſo falſi Prophetæ dicuntur *pellici & ſeduci*, *Ezech.* XIV. 9. *immitti efficaciam erroris, ut credatur mendacio*, 2 *Theſſ.* II. 11. *Deum miſcere ſpiritum erroris*. Jeſ. XIII. 14. *indidiſſe Spiritum mendacii*. 2 Reg. XXII. 23. Quibus phraſibus non tantùm permiſſivè aut negativè, ſed reverâ poſitivè Deum circa hujuſmodi actus ſe haberè nimis manifeſtum eſt.

Ex dictis quoque patet, falſum eſſe, quod Carteſius commate ſequenti, §. XXXII. *affirmare, negare, & dubitare* ad voluntatem referat, ut & ſuprà ad quæſt. V. & VIII. notatum; Sicut & illud, quod diverſas tùm intelligendi, tum volendi actiones, modos appellat; alia enim actio mentis eſt affirmare, alia negare, alia dubitare, &c. diverſi quidem affirmandi, negandi, & dubitandi ſunt modi; at ipſum affirmare, aut negare, actiones ſunt, non modi; ut ad *Quæſt.* XIV. diximus.

QUÆSTIO XXX.
Quando erret Intellectus?

Non Voluntatem, ſed Intellectum proximam & formalem errandi eſſe cauſam, & ſubjectum erroris receptivum, (alii cauſam immanentem appellant) ex præcedentibus patet; Jam verò, quandò nos errare contingat, videndum. De hoc autem ità loquitur Carteſius, §. XXXIII. *Cum autem aliquid percipimus, modò tantùm nihil planè de ipſo affirmemus vel negemus, manifeſtum eſt, nos non falli.* Certum hoc eſt, & notiſſimum

mum. Cùm enim falli vel errare sit falsò judicare, quod nihil aliud est, quam affirmare quod falsum, aut negare quod verum est; Et verò simpliciter apprehendendo nihil affirmetur aut negetur, utique in prima mentis operatione, quæ in simplici perceptione aut apprehensione rei consistit, non reperiri falsitatem aut errorem, manifestum est.

Quod autem porrò dicit Cartesius, nos non falli, *cum id tantùm affirmamus, aut negamus, quod clarè & distinctè percipimus esse sic affirmandum aut negandum; sed tantummodò, cum (ut fit) etsi aliquid non rectè percipiamus, de eo nihilominus judicamus.* Ad id jam suprà responsum. Distinguendum enim inter evidentiam veram & apparentem. Si affirmemus, quod evidenter verum esse percipimus, certum est nos nunquam posse falli aut errare; at verò, si affirmemus aliquid esse verum, quod nobis solummodò evidens apparet seu videtur, in ejusmodi judicio errorem aut falsitatem haud rarò esse posse, jam plus satis ostensum est. Erramus igitur, quotiescunque falsum pro vero, aut verum pro falso amplectimur, quamvis falsum haud rarò veri, aut verum falsi speciem in mente habere contingat; seu, quod idem est, licet falsum aliquandò percipiamus ut verum, & verum falsum esse putemus.

QUÆSTIO XXXI.
An ad judicandum requiratur actio voluntatis?

Ut erroris causam in voluntate esse ostendat Cartesius, adeóque in potestate nostra esse non errare, sic progreditur, §. XXXIV. *Atque ad judicandum requiritur quidem intellectus; quia de re, quam nullo modo percipimus, nihil possumus judicare: sed requiritur etiam voluntas, ut rei aliquo modo perceptæ assensio præbeatur: Non autem requiritur, (saltem ad quomodocunque judicandum) integra & omnimoda rei perceptio; multis enim possumus assentiri, quæ non nisi perobscurè & confusè cognoscimus.* Nempe ad judicandum intellectum quidem requiri, cum sit illius actio, probè advertens Cartesius, voluntatem tamen quoque requiri existimat ut rei aliquo modo id est, minus evidenter aut clarè perceptæ assensio præbeatur. Sed assensio, si pro interna mentis actione, quàm elicitam vocant, sumatur, quid aliud, quam affirmatio; affirmatio verò, quid aliud quam intellectus actio judicantis aliquid esse verum? Ad externam assensionem aut affirmationem, quæ ore profertur & in externa duntaxat enunciatione consistit, voluntatem concurrere fateor, quia est actio corporis imperata; at verò, si pro interna & elicita mentis actione suma-

ſumatur, voluntatem requiri planè falſum eſt, idque unuſquiſque ili in ſe negotio experiri poteſt, Exempli gratia, Eſto homicidium mmiſſum in urbe aliqua, cujus author inquiritur; Si quempiam tunc n poris ex urbe fugientem, aliave ſigna ſeu indicia facti in ipſo adver-, nonne te quaſi neceſſitari percipis ad ſuſpicandum, quod iſte hocidii iſtius ſit autor: Et tamen hoc ipſum non clarè aut evidenter abs cognoſci certum eſt. Ad aſſenſum ergò quemlibet incertum vel probilem voluntatem minimè requiri patet, velis enim nolis, abs te nquam impetraveris, quin homicidii fugientem reum eſſe ſuſpiis.

QUÆSTIO XXXII.
An voluntas dici queat infinita?

Putat Carteſius voluntatem ſe latiùs extendere, quam intellectum; m enim hic ſe ad pauca duntaxat extendat objecta, voluntatem ſe exdere ait ad omne, quod alicujus voluntatis alterius, etiam immenſæ Dei objectum eſſe poſſit; Et hinc fieri, ut, voluntatem extentes ultra ea, quæ clarè percipimus eſſe vera, hallucinemur & erres. Hæc autem illius ſunt verba. §. xxxv. *Et quidem intellectus per-io non niſi ad ea pauca, quæ illi offeruntur, ſe extendit, eſtque ſemper le finita. Voluntas verò infinita quodammodò dici poteſt: quia nihil unm advertimus, quod alicujus alterius voluntatis, vel immenſæ illius quæ eo eſt, objectum eſſe poſſit, ad quod etiam noſtra ſe non extendat: adeò acilè illam, ultra ea quæ clarè percipimus, extendamus; hocquè cum fa-us, haud mirum eſt, quod contingat nos falli.* Intellectus noſter & ntas cum ſint facultates animæ in re ab illius eſſentia nequaquam dictæ, ſed ratione tantùm (ut alibi probatum eſt, *Exerc. Phil.* **Libr.** *quæſt.* ix.) utique, cum anima finita ſit, ipſas quoque facultates na ſuâ finitas eſſe, palam eſt. Si verò infinitam quodammodò volunm dici velit Carteſius ratione objecti; quod nihil excogitari queat, uod non ſeſe ipſa extendat; reſpondeo eâdem ratione & intellectum nitum quodammodo fore, quin & viſum corporeum, ſeu oculos; ut omne appetibile voluntatis, ſic & omne intelligibile intellectus, mne viſibile viſus & oculorum objectum eſt. Quin imò, ſi volunex recepta Peripateticorum Sententia, non niſi in bonum ferri poſ- (quod tamen falſum eſſe oſtendimus *Philoſ. Lib.* vi. *Exercit.* iii. L iii.) Utique longè latius intellectum ſeſe quam voluntatem extendere

tendere consequitur; quia non bonum tantùm, sed & malum formaliter ab intellectu percipi potest. Quo ergò jure intellectum valde finitum, voluntatem verò infinitam faciat hic Cartesius ipsius Discipuli viderint. Ignoti certè nulla cupido; Omnis ergò volitio intellectus actionem seu apprehensionem præsupponit, eamque sequitur. De causa erroris jàm suprà actum est, neque eam formaliter in voluntate, sed in intellectu sitam esse, ejusque ab imperfectione ac cœcitate dependere, ostensum est. Errores tamen quosdam voluntarios dici, & culpabiles, proinde in sensu morali voluntati posse attribui haud nego, & constat ex iis quæ *Philos. Lib.* VI. *Exerc.* IX. *de Ignorantia* disseruimus. Verùm hæc consideratio hujus non est loci, ut patet; quia non de causa morali, sed proxima, vera, & formali erroris causa, quæstio est; hanc autem non voluntatem, sed intellectum, ejusque imperfectionem esse jam sæpiùs dictum. Quemadmodùm enim ab intellectu perfecto & sano visio perfecta & clara, ità contrà, perceptio imperfecta & falsa ab intellectu imperfecto & corrupto proficiscitur, quemadmodùm & ab oculo vitioso visio vitiosa & imperfecta, ut notum.

QUÆSTIO XXXIII.

An Deo errores mentis nostræ imputari queant?

Mentem nos à Deo accepisse, animamque immortalem non ex traduce, ut loquuntur, sed ab ipso immediatè in corpore humano esse productam, ostensum est *Phil. Libr.* IV. *quæst.* V. Hanc verò ex lapsu & culpâ primorum nostrorum parentum integritate sua originali justissimè esse orbatam ex Theologia similiter hoc loco supponimus. Difficultas ergò est, talem cum à Deo acceperimus animam, quæ usque adeò est imperfecta, ut erroribus gravissimis sit obnoxia, & facillimè hallucinetur, utrum non Deo ejusmodi errores aut hallucinationes mentis attribui debeant? Rectè hoc loco docet Cartesius, id nequaquam fingi posse; rationem tamen haud satis accuratè attigisse videtur. Sed verba ipsius audiamus, §. XXXVI. *Neque tamen ullo modo Deus errorum nostrorum author fingi potest. propterea quod nobis intellectum non dedit omniscium. Est enim de ratione intellectus creati, ut sit finitus; ac de ratione intellectus finiti, ut non ad omnia se extendat.* Neminem sanè usque adeò stupidum existimo, qui ex eò Deum errorum causam esse deduxerit, quod non dederit homini intellectum omniscium sive infinitum; sed quod creaverit imperfectum non solùm negativè, sed etiam privativè, seu absque perfectione

fectione & cognitione sibi ex natura prima convenienti, in qua primaria imaginis divinæ pars à Theologis constituitur. Neque enim ex finitate formaliter procedit, quod intellectus noster erret, & tam sæpè hallucinetur, (quia tunc semper erraret, quia semper finitus,) sed ex corruptione & imperfectione nativa, ut dictum. Quemadmodùm nec ex finitate oculi est quod objectum non rectè videat, sed ex vitio aliquo ipsi insito, ut patet. Nos ergò paulò aliter difficultatem istam tollendam arbitramur, nempe propterea Deum errorum nostrorum & hallucinationum causam esse non posse, quia ipse omni perfectus, prima veritas, & purissima lux, sicut nec propterea malitiæ author esse potest quia infinita & summa bonitas. Plusquam stramineum nobis videtur hoc argumentum, Deus creavit animam imperfectam; Ergò author est & causa imperfectarum aut vitiosarum ejus Actionum. Perinde enim arguere possem: Pater generavit filium imperfectum aut vitiosum, ergò causa est omnium actionum imperfectarum aut vitiosarum, quæ à filio proficiscuntur: Vel, generavit filium cœcum, ergo causa est, quod inciderit in foveam, quam ob cœcitatem videre non poterat. Ecquis fabro ferrario aut machæropœo imputandum putet homicidium, quod gladio ab ipso confecto perpetratum est?

QUÆSTIO XXXIV.

An summa perfectio hominis sit, quod agat liberè?

Hominem omnibus in Terra creaturis præstantiorem & perfectiorem esse certum est: hanc quoque præstantiam aut perfectionem non in corpore duntaxat ipsius, aut externa facie, in qua tamen insignis majestas, sed in anima rationali aut mente immortali imprimis quærendam esse, manifestum arbitror. Et hinc actiones animæ rationales aut mentales præstantissimas esse colligitur. Utrum verò actiones quæ propriè Intellectus dicuntur & theoreticæ, an verò voluntatis practicæ perfectiores dicendæ sint, explicatum vide in *Phil. Lib.* IV. *quæst.* XXXI. Ego quidem sic sentio, in actione mentis summam hominis perfectionem sitam esse, ea nempe quæ circa Deum, summum creaturæ bonum, versatur, prout ostensum *Philos. Lib.* VI. *Exercit.* XX. *quæst.* VIII. Cartesius, ut errores mentis ab arbitrio nostro pendere doceat, summam hominis perfectionem in eo constituendam ait, quod liberè & per voluntatem agat, quodque sit suarum actionum author, & ob eas laudetur. Verba ipsius hæc sunt. §. XXXVII, *Quod verò latissimè pateat voluntas,* hoc

hoc etiam ipsius naturæ convenit: ac summa quadam in homine perfectio est, quod agat per voluntatem, hoc est liberè; atque ità peculiari quodam modo sit author suarum actionum, & ob ipsas laudem mereatur. Non enim laudantur automata, quod motus omnes ad quos instituta sunt, accuratè exhibeant, quia necessariò illos sic exhibent; laudatur autem eorum artifex, quod tam accurata fabricarit, quia non necessariò, sed liberè ipsa fabricavit. Eademque ratione magis profectò nobis tribuendum est, quod verum amplectamur, cum amplectimur, quia voluntariè id agimus, quam si non possemus non amplecti.
Non minùs amplum intellectus, quam voluntatis esse objectum jam modò notatum fuit; Magnam quoque in homine esse perfectionem agere per voluntatem, quæ tamen prævium habeat intellectus judicium, concedo; ut & illud, quod homo suarum actionum author nuncupari possit, quodque ob eas vel laude vel vituperio dignus censeatur. Interim & hoc notare licet, laudem & vituperium etiam rebus inanimatis & brutis attribui utcunque posse. Quotiescunque enim fit, ut automata laudentur, quæ accuratè motus suos exhibeant, ejusque authores; neque spectemus utrum ex libero ipsorum arbitrio, an verò necessitate quadam adacti illa fabricaverint? Et si vel omninò sciremus artificem vel pictorem usque adeò in arte sua peritum esse, ut errare in opere suo non queat, nunquid propterea eum ejusve artificium minori laude dignum censeremus? Nonne laudantur bruta, elephantes, equi, canes, boves, aves, pisces; item, arbores, herbæ, metalla, lapides, &c. ob perfectionem aliquam naturalem, quam in ipsis experimur? Ecquis dubitet, quin laudetur oculus, qui perfectè & clarè objectum suum percipit coloresque omnes & lineamenta acutissimè discernit? quomodò ergò hinc ostendi queat, perceptionem veri esse actionem arbitrii aut libertatis, quod Cartesius intendit, equidem non capio. Certè, si hoc argumentum procederet, non obscuriores illi mentis assensus, sed evidentissimæ imprimis & clarissimæ veritatis perceptiones, quæ & scientificæ dicuntur, voluntati attribuenda forent: Si enim ob aliquas, ob perfectissimas præsertim mentis actiones homo laudem meretur. Si verò clara & distincta mentis perceptio à voluntate non dependeat, quomodò in libera hominis actione summa ipsius perfectio consistat, non intelligo. Sed & hoc notari velim, percipere veritatem, cum percipimus, non minus nobis attribui, si necessariò, quam si liberè percipiamus, & possemus non percipere. Quamvis enim automata motus suos necessariò exhibeant, nihilominus automatorum motus esse non desinunt. Similiter & beatorum in cœlis visio necessaria est, & non possunt

sunt

sunt non videre & amplecti summum bonum; Ecquis inde ejusmodi actiones ipsis attribui non posse arguat? Oculus apertus necessariò objectum suum percipit, auris audit sonos, & stomachus cibos concoquit, & tamen nemo est, qui non oculis visionem, auribus auditionem, & stomacho concoctionem attribuat. Perinde & perfectissima hominis actio, quæ in intellectione seu apprehensione, nec non volitione & amore summi boni sita est, sive necessariò sive liberè ab ipso peragatur, ad rem non facit; Quin imò, quò magis ἀδιαφορία & indifferentia ab hujusmodi actionibus remota est, eò perfectum magis beatumque hominem censeo; quemadmodùm & ab Angelorum beatorumque actionibus indifferentiam omnem ablatam esse Theologi docent, ità ut necessariò Deum & videant & ament, cumque eo tam arctè uniti sint, ut nulla prorsus ratione ab eo separari queant. Hallucinatur ergò Cartesius, dum ità amplecti verum in nostra potestate esse vult, ut etiam possimus non amplecti; Et in eo perfectionem nostram consistere: cùm contra ex dictis eo minus perfectum hominem fore pateat, si verum etiam posset non percipere seu amplecti. Ego certè istum perfectissimum judico intellectum, qui usque adeò est illuminatus, ut quodlibet verum sine ullâ prorsus mora protinus clarissimè, evidenter, & necessariò percipiat & amplectatur; quemadmodùm & experientia docet paulisper intellectum nostrum magis magisque illuminari, dubitationes tolli, & tandem eò ascendere, ut non amplius de veritate sibi proposita dubitare queat. Ità ut ἀδιαφορία ista, sive indifferentia intelligendi vel non intelligendi, (si quæ in mente fingatur) magnum imperfectionis signum sit: tantùm abest ut in ista summam hominis perfectionem consistere arbitremur.

Si denique hic paulò magis theologicè agere vellemus, nonne Deum eiusve Spiritum perfectissimarum actionum nostrarum rectiùs authorem vel causam, quam nos ipsos dicemus, juxta Scripturæ dicta, *Phil.* II. 13. *Deus enim est, qui efficit in vobis & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia. Hebr.* XIII. 20. 21. *Deus verò pacis compingat vos ad omne opus bonum, ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in vobis quod gratum est in conspectu suo per Jesum Christum. Phil.* I. 6. *Persuasum habens hoc ipsum, fore ut qui incepit in vobis opus bonum, perficiat usque ad diem Jesu Christi.* Idque imprimis ratione actionum intellectualium & fidei considerari velim; quia fides est mentis qualitas, lumenque ipsi inditum, quò de veritate euangelica & gratia Dei in Christo plenissimè persuadetur; quod certè non nisi à Deo, ejusque spiritu il-

luminante esse potest; Unde & fides expresse *donum Dei* nuncupatur, Eph. 11. 8. *Et cor Lydiæ adaperuisse* Legitur Dominus, *ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo.* Act. xvi. 14. Falsum ergò est, quod hic putat Cartesius, summam hominis perfectionem esse, quòd agat liberè, sive, quod hic idem ipsi, quod ad agendum vel non agendum sit ἀδιάφορος, ità ut etiam non agere possit.

QUÆSTIO XXXV.

An errare defectum arguat in actione tantùm, & non in natura nostra?

De hoc negotio ità porrò disserit Cartesius §. xxxviii. *Quod autem in errores incidamus, defectus quidem est in nostra actione sive in usu libertatis, sed non in nostra natura; utpote quæ eadem est, cum non rectè, quam cum rectè judicamus.* Hoc perinde mihi videtur, ac si quis diceret, claudicationem esse in incessu claudicantis aut usu ipsius locomotivæ, non verò in homine claudicante, cum idem sit homo, qui rectè & non rectè incedit. Vel, peccatum sive vitiositatem esse in actione vitiosa, non verò in homine eam committente; atque adeò non homo, sed actio peccare dicetur. Nùm ergò existimat Cartesius noster, naturam hominis aut mentis prorsus integram esse atque incorruptam, qualem eam à principio ante lapsum à Deo conditam fuisse docent Orthodoxi? Quantò ergò nos verius hominem agendo deficere, ejusque naturam corruptam atque deformatam peccato contendimus, mentemque ipsius admodùm occæcatam esse, & insigni lumine orbatam. Et hinc esse jam ex dictis satis superque patet, quod in errores & vitia usque adeò simus proclives, tamque facilè agendo deficiamus, aut judicando erremus. Eandem quidem esse mentem fatemur, sive verè sive falsò judicet, nempe essentia sive entitate, non verò qualitate aut perfectione; quemadmodùm idem erat homo ante peccatum integer, qui post peccatum corruptus atque deformatus evasit.

QUÆSTIO XXXVI.

An Deo, cum potuerit dare mentem erroris expertem, errores imputari nequeant?

Negativa verissima est, eamque proinde rectissimè tradit Cartesius sequentibus hisce verbis; *Et quamvis tantam Deus perspicacitatem intel-*

lectui

lectui nostro dare potuisset, ut nunquam falleremur, nullo tamen jure hoc ab ipso possumus exigere. Nec quemadmodum inter nos homines, si quis habeat potestatem aliquid malum impediendi, nec tamen impediat, ipsum dicimus esse ejus causam; ità etiam quia Deus potuisset efficere, ut nunquam falleremur, ideò errorum nostrorum causa est putandus. Potestas enim, quam homines habent uni in alios, ad hoc est instituta, ut ipsa utantur, ad illos à malis revocandos; ea autem, quam Deus habet in omnes, est quam maximè absoluta & libera, ideóque summas quidem ipsi debemus gratias pro bonis, quæ nobis largitus est; sed nullo jure queri possumus, quod non omnia largitus sit, quæ agnoscimus largiri potuisse. Cùm Deus absolutus sit omnium creaturarum Dominus, ejusque authoritas infinita, & potestas liberrima; nullisque limitibus aut legibus circumscripta, ecquis tam iniquus rerum sit æstimator, qui hoc vel illud sibi à Deo deberi vel somniando cogitet; quique proinde, si minus fecerit, injustitiæ ipsum aut injuriæ accuset? Præclarè Jobus Cap. IX. 12. *Ecce, rapuerit, quis cogat eum restituere? Quis dicat ei, quid facis?* Et Dan. IV. 35. *Omnes verò habitatores terræ ut nihili reputantur, & pro voluntate sua facit in exercitu cœli, & habitatoribus terræ; neque est qui prohibeat manum ejus, aut dicat ei, quid facis?* Dei est, creaturis suis pro liberrima sua voluntate & potestate absoluta limites & leges præscribere, non verò ab iisdem accipere. Adeoqué vel hoc ipso hoc illudvé justum asserimus quod à Deo factum vel statutum. Quod ergò peccata non impediat Deus, nosque sæpissimè deficere atque errare permittat, justum est, quia sic ipsi visum, qui injustus esse nequit. Sed nec illud usque adeò absolutè verum est, quod putat Cartesius, apud homines obtinere, si quis malum aliquod impediendi potestatem habeat, nec impediat tamen, ejus ipsum causam aut authorem dicendum esse. Quotiescunque enim fit, ut pauperes à fœneratore pecuniam sub fœnore reddendam petant, nec tamen peccent qui pecuniam accipiunt, cum tamen non petendo pecuniam impedirent peccatum fœneratoris. Similiter, nec divites pauperibus bona sua largiri tenentur, quæ si possiderent à furto abstinuissent; Nunquid propterea divites furti reos dicemus? Oenopolæ homini ebrioso vinum vendere licet, quo si careret, non se eo ingurgitaret, neque tamen propterea ebrietatis illius causa Oenopola putandus est. Quot falsæ in Rep. nostra religiones permittuntur à Magistratu politico, quas impedire possent; quis tamen adeo insanus sit, ut cum Cartesio concludat, Magistratum istarum religionum esse causam? Interim Christianos omnes charitatis lege teneri lubens fateor,

alios-

aliosque ab erroribus & peccatis revocare pro viribus singulis incumbere. Huic tamen legi pro liberrima sua & absoluta potestate minimè obstrictum esse Deum rectè à Cartesio notatum; summas proinde, ob ea, quæ nobis bona largitus est, nos ipsi debere gratias, nulloqué nos jure queri posse, quod plura largitus non sit. Sed quorsum hæc spectent, quidve sibi ex moralibus hisce hoc loco concludendum velit Cartesius, prorsus ignoro.

QUÆSTIO XXXVII.

An Libertas assentiendi vel dissentiendi nobis innata sit?

Suppono quæstionem non esse de actu quodam voluntatis, quo idem nos cum aliis velle significamus, qui & Consensus voluntatis dici solet; sed de actu mentis sive judicii, quo propositionem aliquam veram esse internè judicamus aut falsam. Ex. gr. sit quæstio, utrum omnia corpora ex quatuor componantur elementis, igni, aëre, aqua, terra? Proferuntur rationes pro utraque parte, affirmativa & negativa? Quæritur ergò, utrum mens auditis & perceptis hisce rationibus pro negativa, eaqué multò magis probabilia intelligens, pro arbitrio suo possit tamen assentiri affirmativæ, & judicare vel suspicari illam esse veriorem? Ego certè id impossibile judico, & apertam involvere contradictionem; Quid enim est percipere aliquam rationem esse probabilem vel probabiliorem, quam assentiri seu mente dicere illam sententiam esse veriorem. Cartesius tamen contrariam sententiam amplectitur, eamqué usque adeò veram & evidentem putat, ut inter primas & maximè communes notiones nobis innatas referat. §. XXXIX. *Quod autem*, inquit, *sit in nostra voluntate libertas, & multis ad arbitrium vel assentiri vel non assentiri possimus, adeò manifestum est, ut inter primas & maximè communes notiones, quæ nobis sunt innata, sit recensendum.* Mirandum sanè Cartesium, qui omnia tam clarè tamqué evidenter distinctequé percipi debere docet, antequam assensum nostrum præbeamus, hoc suum assertum adeô manifestum putare, ut inter primas & maximè communes notiones sit recensendum; cùm tamen nihil falsius ab ipso fingi unquam potuerit, ut patet ex dictis. Neque ad hoc probandum longo discursu opus est. cùm unusquisque facilè apud se experiri valeat, utrum, rationibus pro utraque sententia allatis & perceptis, non necessitetur ad credendum illam esse veriorem, pro qua rationes maximè probabiles allatas fuisse percepit.

Sed

Sed quomodò hoc suum assertum probet Cartesius audiamus. *Patuitque*, inquit, *hoc maximè paulo ante, cum de omnibus dubitare studentes, eò usque sumus progressi, ut fingeremus, aliquem potentissimum nostræ originis authorem modis omnibus nos fallere conari; nihilominus enim hanc in nobis libertatem esse experiebamur, ut possemus ab iis credendis abstinere, quæ non planè certa erant & explorata: Nec ulla magis per se nota & perspecta esse possunt, quam quæ tunc temporis non dubia videbantur.* Quo usque hic noster Cartesius in dubitationibus suis fuerit progressus, non refert, & de eo plus satis nobis actum; ad *Quæst.* I. II. III. & IV. Fateor nonnunquam tales injici alicui posse scrupulos quibus ad maximas dubitationes redigatur, etiam de ejusmodi veritatibus, quæ nobis prius evidentissimæ videbantur; at verò tales dubitationes injici nobis posse, ut vel negemus vel dubitemus de rebus sua luce evidentissimis & per se notis, veluti; *duo & tria esse quinque*, *Totum esse majus sua parte*, *Idem posse esse & non esse simul*, *Nihil posse esse causam τοῦ aliquid*, &c. planè falsum arbitror; neque quempiam sanæ unquam mentis extitisse puto, qui tantam in se libertatem aut potestatem expertus sit, ut ejusmodi propositiones mente negare potuerit, aut earum veritatem in dubium revocare. Ego quidem me numquam circa res intelligibiles assentiendi vel dissentiendi mente potestatem expertum ingenuè fateor. Nempe prout ratio, qua sententia aliqua adstruitur, vel evidens, vel certa, vel probabilis, vel falsa apparebat menti, eatenus sententiam istam vel evidenter & certò veram vel probabiliter tantùm, vel etiam falsam judicabam, neque aliter potui.

QUÆSTIO XXXVIII.
An omnia à Deo præordinata sint?

Cùm solus Deus sit Ens necessariò existens, utique res omnes præter Deum haud necessariam habere existentiam manifestum est. Possunt ergò illæ considerari vel quatenus sunt in statu meræ possibilitatis, vel quatenus sunt in statu futuritionis, vel quatenus sunt in statu actualis existentiæ: status existentiæ actualis sequitur statum futuritionis, sicut & hic ordine statum possibilitatis. Quod enim hodie existere incipit, idipsum antequam existeret, erat futurum, & antequam esset futurum, erat possibile. Jam verò, cum res ex se & naturâ suâ futuræ non sint, causa aliqua inquirenda venit, qua è statu possibilitatis translatæ sint in statum futuritionis. Cùm enim res merè possibiles indifferenter sese

 habeant

habeant tam ad non-futuritionem, quam ad futuritionem, causa aliqua sit oportet, quæ istam differentiam determinet, easque ex merè possibilibus reddat futuras. Hujusmodi itaque causa quærenda est vel extra Deum, vel in Deo. Extra Deum nihil occurrit, quod istius futuritionis causa esse possit; ratio est, quia transitus iste factus est ab æterno; ab æterno enim res fuerunt futuræ, alioquin enim eas Deus tanquam futuras cognoscere non potuisset. At ab æterno extra Deum nihil fuit; consequens ergò est, causam istius transitus esse in Deo. At verò intellectus Dei causa esse nequit, quia intellectus objectum suum præsupponit, ut enim res est, ità à Deo cognoscitur. Superest ergò, ut Voluntas divina transitus istius sit causa, qua res ex statu possibilitatis traducta est in statum futuritionis. Unde jam conficitur, quæcunque futura sunt ex Dei voluntate habere, quod futura sint, quia scilicet Deus decrevit, ut fiant. Si enim non decrevisset Deus, ut fierent, non fierent; & si in tempore non fierent, nunquam futura dici potuissent. Constat ergò ex hoc discursu, omnia quæ fiunt in tempore jam ab æterno à Deo decreto suo fuisse definita atque præordinata, ut fierent, eo nempe modo, quo eadem actu fiunt. Agnovit quoque hanc veritatem Cartesius, §. XL. *Sed*, inquit, *quia jam Deum agnoscentes, tam immensam in eo potestatem esse percipimus, ut nefas esse putemus existimare, aliquid unquam à nobis fieri posse, quod non ante ab ipso fuerit praeordinatum.*

QUÆSTIO XXXIX.

An & quomodò æterna Dei præordinatio cum arbitrii nostri libertate concilietur?

Difficillimam hanc & gravissimam quæstionem attingit Cartesius verbis proximè sequentibus: *Facilè*, inquit, *possumus nos ipsos magnis difficultatibus intricare, si hanc Dei praeordinationem cum arbitrii nostri libertate conciliare, atque utramque simul comprehendere conemur.* Magnas hic esse & moveri posse difficultates, quibus sese multi expediendo non sint, certum est. Quodsi verò attentè ea, quæ jam à nobis dicta sunt velimus considerare, etiam hasce difficultates non adeò magnas fore patebit, quin facilè superari queant. Sed audiamus qua ratione aut via se hinc expediat Cartesius. §. XLI. *Illis verò*, inquit, *nos expediemus, si recordemur, mentem nostram esse finitam; Dei autem potentiam, per quam non tantùm omnia, quæ sunt aut esse possunt, ab æterno præscivit, sed etiam voluit ac praeordinavit, esse infinitam; ideòque hanc quidem à nobis satis attingi, ut*

ut clarè & distinctè percipiamus, ipsam in Deo esse; non autem satis comprehendi ut videamus quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat; libertatis autem & indifferentiæ quæ in nobis est, nos ità conscios esse, ut nihil sit quod evidentius & perfectius comprehendamus. Absurdum enim esset, propterea quod non comprehendimus unam rem, quam scimus ex natura sua nobis esse debere incomprehensibilem, de alia dubitare, quam intimè comprehendimus, atque apud nosmet ipsos experimur. Quibus profectò se ità expedire videtur Cartesius, ut contrà, quomodò se iis expediat, ignorare fateatur. Nam, ut nunc præteream, quod Dei potentiam constituat tanquam principium formale, per quod ab æterno omnia sciverit Deus, & præordinaverit, mox subjicit haud satis à nobis comprehendi posse, quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat. At verò hoc non extricare est, aut explicare, sed difficultatem usque adeò magnam facere, ut nemo se inde extricare queat, quia comprehendi non potest. Agè ergò nunquid alia ratione nosmet hinc expedire possimus, attendamus.

Notandum igitur est de Decreto, seu præordinatione Dei, quod sit efficax, ità ut certò & infallibiliter eveniant, quæcunque ab ipso decreta sive præordinata sunt. Cùm verò & illud certum sit, decrevisse Deum non tantùm, ut hoc vel illud determinatè fieret, verùm etiam modum, quo fieret, sive liberè sive necessariò sive contingenter: (Neque enim decrevit tantùm Deus, ut Pilatus crucifigeret Christum, verùm etiam, ut id faceret liberè seu ex libertate arbitrii & prævia deliberatione,) utique satis clare constare arbitror ex vi istius Decreti factum, quod Pilatus liberè Christum cruci suffixerit. Ità ut per immutabilitatem & efficaciam decreti non evertatur, sed potius quam maximè stabiliatur contingentia eventuum, & libertas actionum humanarum. Posito enim decreto; (Pilatus liberè in crucem aget Christum, per istos milites, in istoc loco, tempore, &c.) nisi Pilatus id liberè præstitisset, per istos milites, isto loco, tempore, &c. Decretum efficax non fuisset nec impletum, quia non præstitisset eo, quo decretum erat modo, loco, tempore, &c. Et hinc jam patet, decretum & præordinationem Dei optimè cum libertate actionum humanarum & contingentia rerum conciliari posse, & nullam esse inter ea repugnantiam; Cùm contrà, ex immutabilitate decreti, & efficacia præordinationis divinæ optimè probetur tùm libertas arbitrii in agendo, tùm contingentia eorum, quæ fiunt, quia non tantùm hoc vel illud materialiter futurum esse Deus scivit & præordinavit; verùm etiam formaliter, quomodò illud futu-

rum sit, necessarióne, an contingenter, certò & infallibiler, decrevit. Sicuti enim actio libera, aut eventus contingens dicitur in præsenti, ità etiam ab æterno eadem actio dicebatur libera, aut eventus contingens in futuro, quemadmodùm & postea dicitur libera aut contingens in præterito, quod explicatur per *Est*, *erit*, & *fuit*. Quod enim hodie fit liberè & contingenter in præsenti; idipsum heri & in omni duratione præterita, erat liberè & contingenter futurum; Et cras, & in omni duratione secutura in æternum, dicetur liberè aut contingenter fuisse factum in præterito. Sicuti igitur, quod hodiè liberè & contingenter fit, Deo notum est; ità etiam ab æterno illud liberè & futurum esse certò & infallibiliter prænovit, & consequenter etiam decrevit. Ità ut nulla amplius repugnantiæ inter præordinationem Dei & libertatem arbitrii vel species superesse mihi videatur, sed quam maxima conformitas, & concordia manifesta.

QUÆSTIO XL.
An falli & assentiri falsis differant?

Cartesius cum errores libero voluntatis arbitrio attribuendas docuerit, & tamen neminem falli velle probè adverteret, (nisi fortè in sensu quodam improprio & morali,) difficultatem hanc ut tolleret, distinctionem commentus est inter velle falli, & velle assentiri iis, in quibus contingit errorem reperiri. Sic autem ipse loquitur, §. XLII. *Jam verò, cum sciamus, errores omnes nostros à voluntate pendere, mirum videri potest, quod unquam fallamur, quia nemo est qui velit falli.* Equidem si errores nostri omnes à voluntate pendeant, & verò nemo sit, qui errare directè velit, cum omnes naturaliter cognitionem veri appetant, meritò mirum cuipiam videri posset, quod unquam falleremur; quia falli ratione intellectus nostri, nihil aliud est, quam putare verum esse, quod falsum est. Dico, *ratione intellectus nostri*, quia falli ratione causæ fallentis malitiam ac fallendi voluntatem arguere potest; quod tamen ad præsens negotium non facit; quia non refert à quo intellectus in errorem inducatur sive à se sive ab alio; semper enim verum manet sive fallatur mens ab alio sive à se-ipsa, quod à vero in judicando aberret, adeoque falso assensum præbeat, proindéque ipsius ratione falli & falsis assentiri non differunt. Sic igitur contrà Cartesium argumentor: qui non vult falli, non vult errare, hæc enim æquipollentia sunt; at nemo est, qui velit falli, ut ipse Cartesius fatetur; Ergo nemo vult errare;

errare; proindeque error à voluntate non proficiſcitur, ut jam ſæpius oſtenſum eſt.

Sed pergit Carteſius: *ſed longè aliud eſt velle falli, quam velle aſſentiri iis, in quibus contingit errorem reperiri.* Ego quidem nullam hic ratione intellectus noſtri, ut modò dictum, differentiam percipere poſſum. Cùm enim falli nihil aliud ſit quam in errorem induci, hoc verò nihil aliud quam aſſentiri ſeu credere falſis, patet differentiam hanc nullius prorſus eſſe momenti, & gratis à Carteſio excogitatam. Repugnant ergò & illa, quæ mox ſubjicit: *Quamvis revera nullus ſit, qui expreſſè velit falli, vix tamen ullus eſt, qui non ſæpè velit aſſentiri iis, in quibus error ipſo inſcio continetur* Siquidem velle falli, & velle aſſentiri falſis prorſus idem ſunt, & verò nemo velit expreſſè falli, ut fatetur Carteſius, neminem quoque expreſſè velle patet iis aſſentiri, in quibus error continetur. Et quis intelligat illa, quæ in margine hic notavit Carteſius: *Quomodò quamvis nolimus falli, fallamur tamen per noſtram voluntatem.* Nonne hæc contradictoria ſunt: *Nolle falli, & falli per voluntatem?*

Quod denique ſubjicit Carteſius: *Quin & ipſa veritatis aſſequendæ cupiditas perſæpè efficit, ut ii qui non rectè ſciunt qua ratione ſit aſſequenda, de iis quæ non percipiunt judicium ferant, atque idcirco ut errent,* Hoc, inquam, parùm Philoſophicè dictum videtur. Ecquis enim Philoſophiam, quæ veritatis & ſapientiæ ſtudium eſt, cauſam errorum dixerit? Quod philoſophi errent, aut hallucinentur ſæpius, non Philoſophiæ imputandum aut veritatis ſtudio, ſed mentis imperfectioni, ut patet ex dictis, nec non pertinaciæ, ſuperbiæ, invidiæ, ut alibi à me notatum eſt. Præjudicium quoque & ſervitutem acerrimos veritatis hoſtes eſſe ibidem fuit notatum.

QUÆSTIO XLI.
Quando fallatur Intellectus?

De hac re ità Carteſius, §. XLIII. *Certum autem eſt, nihil nos unquam falſum pro vero admiſſuros, ſi tantùm iis aſſenſum præbeamus, quæ clarè & diſtinctè percipiemus.* Hoc enim idem eſt, ac ſi dicerem nos nunquam falli, quando ea vera eſſe judicamus, quæ vera ſunt; ſiquidem quæ clarè & diſtinctè percipiuntur eſſe vera, falſa eſſe non poſſunt. Et quis de eo dubitet? Quid autem hoc pro libertate arbitrii, quam ad judicandum requiri Carteſius exiſtimat? Sive enim ad judicandum arbitrium concurrat, ſive non concurrat, judicium tamen erit verum,

si falsum non admittat. Sed pergamus: *Certum*, inquit, *quia cum Deus non sit fallax, facultas percipiendi, quam nobis dedit, non potest tendere in falsum, ut neque etiam facultas assentiendi, cum tantum ad ea, quæ clarè percipiuntur, se extendit.* Quid autem hoc est, *facultas percipiendi non potest tendere in falsum?* Certè, quamvis Deus minimè fallax sit, & summè verax, experientia docet tamen intellectum sæpissimè falsum pro vero amplecti, cujus quidem rei rationem in mentis nostræ corruptione quærendam, non verò in Deo, jam suprà notatum fuit. Quod porro addit facultatem assentiendi non posse tendere in falsum, cum tantùm ad ea, quæ clarè percipiuntur, se extendit, idem est ac si dixisset, Intellectum non posse falsis assentiri, quando assentitur iis, quæ vera sunt. Nonne hoc egregiè philosophari est, & bis terve uno commate ταυτολογεῖν? Addit Cartesius: *Et quamvis hoc nulla ratione probaretur, ità omnium animis à natura impressum est, ut quoties aliquid clarè percipimus, ei spontè assentiamur, & nullo modo possimus dubitare, quin sit verum.* Præclarè profectò? Quid enim ratione opus, ut probentur identica? At verò falsum est, quod ait Cartesius, omnium animis à natura impressum esse, ut iis, quæ clarè percipimus, spontè assentiamur, seu ex libero arbitrio, cum planè ad hujusmodi assensum necessitari intellectum jàm sæpiùs notatum sit; Quemadmodùm & ipse Cartesius, vi veritatis convictus, eadem periodo continuò subjicit, *nullo modo nos posse dubitare, quin sit verum.* Si nullo modo possumus dubitare, quomodò nos spontè ei assentiri asserit? Et quomodò suprà §. XXXIX. in voluntate nostra libertatem assentiendi vel dissentiendi constituit, usque adeò ut id ipsum primas inter maximéque communes notiones recensendum putarit? Concilient ista Cartesiani.

Veriora sunt, quæ sequuntur, §. XLIV. *Certum*, inquit, *etiam est, assentimur alicui rationi, quam percipimus, vel nos falli, vel casu tantùm incidere in veritatem; atque ità nescire nos non falli. Sed sanè raró contingit, ut assentiamur iis, quæ advertimus à nobis non esse percepta; quia Lumen naturæ nobis dictat, nunquam nisi de re cognita esse judicandum. In hoc autem frequentissimè erramus, quod multa putemus à nobis olim fuisse percepta, iisque memoriæ mandatis tanquam omninò perceptis, assentiamur; quæ tamen reverà nunquam percepimus.* At verò, quid hinc sibi exsculpat Cartesius, non video; Neque enim ulla vel specie consequentiæ hinc quispiam deduxerit, errores voluntati ejusve arbitrio attribuendos esse. Præjudicia hæc sunt, quotiescunque putamus quædam à nobis olim percepta fuisse, iisve tanquam omninò perceptis assentimur, quæ tamen reverà nun-

nunquam percepimus: hæc verò veritati quam maximè adverſari, & detrimentum adferre certiſſimum eſt; adeóque ab iis, quantum fieri poteſt, cavendum Philoſophiæ ſtudioſo.

QUÆSTIO XLII.
Quid ſit perceptio clara & diſtincta?

Ad perceptionis perfectionem requiri fateor, ut clara ſit atque diſtincta, quemadmodùm & clara ac diſtincta objecti perceptio perfecta viſio appellatur. Permultos quoque reperiri homines facilè conceſſerim, qui nihil unquam in tota vita perfectè percipiant, atque adeò rectè, id eſt, perfectè de rebus judicare queant. Diſtinctio tamen, quam hic fabricat Carteſius inter perceptionem claram & diſtinctam, mihi ſaltem non adeò clara & diſtincta apparet. Sed ipſum audiamus, §. XLV. *Claram inquit, voco illam, quæ menti attendenti præſens & aperta eſt, ſicuti ea clarè à nobis videri dicimus, quæ oculo intuenti præſentia, ſatis fortiter & apertè illum movent. Diſtinctam autem illam, quæ, cum clara ſit, ab omnibus aliis ità ſejuncta eſt & præciſa, ut nihil planè aliud, quam quod clarum eſt, in ſe contineat.* Meo quidem judicio hac definitione perceptionis claræ, eadem non clarior, ſed obſcurior facta eſt. Et profectò ſi ſit aliquid, quod explicatione aut definitione non indigeat, eſt id quod clarum dicimus. Ecquid enim clarius perceptione clara excogitari poteſt? Suprà §. X. dixerat Carteſius, non ſe explicare multa nomina, quia per ſe ſatis nota ſibi videbantur, ſéque ſæpiùs advertiſſe philoſophos logicis ſuis definitionibus ea, quæ ſimpliciſſima erant ac per ſe nota obſcuriora reddidiſſe; quod veriſſimum eſt. At turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum.

Et reverà, ſi alicubi, quid clara ſit aut diſtincta perceptio, explicandi locus eſſet, utique in harum meditationum principio id factum oportebat. Verùm enimverò, ut dictum, quid clara ſit perceptio definitione aut explicatione ulteriori in Phyſica non indiget. Et majori nunc cum ratione ulteriùs à Carteſio quærere poſſem, quid ſit *Mens attendens*, quid illud *quod ipſi præſens & apertum*; item, quid *perceptio ab omnibus aliis ſejuncta & præciſa, ut nihil aliud, quam id quod clarum eſt in ſe contineat*, & id genus alia. Hæc profectò non minus explicatione indigent, quam id quod clarum eſt. Dum ergò clarum explicare conatur Carteſius, obſcurum reddere deprehenditur. De motu quoque illo ſatis forti & aperto, quo ab objecto oculum moveri indicat, aliàs agen-

agendum. Et quid hic multis opus est, siquidem ea clarè à nobis videri dicuntur, quæ ab oculo sano per medium non impeditum in debita distantia percipiuntur, cum perfectior visio non detur. Sic clarè video hanc Scripturam, has literas, hanc chartam, hos libros, &c. Sed nonne & hæc omnia distinctè à me videntur? Pleiades clarè oculis meis in cœlo sereno conspicio, & distinctè, utrum verò sex sint stellæ vel septem non ità clarè video, nec distinctè; ità ut clarè & distinctè objectum videre seu percipere prorsus idem esse videantur.

Probare tamen suam distinctionem conatur Cartesius, §. XLVI. *Ità dum quis magnum aliquem sentit dolorem, clarissima quidem in eo est ista perceptio doloris, sed non semper est distincta; vulgò enim homines illam confundunt cum obscuro suo judicio de natura ejus, quod putant esse in parte dolente, simile sensui doloris, quem solùm clare percipiunt. Atque ita potest esse clara perceptio, quæ non sit distincta; non autem ulla distincta, nisi sit clara.* Verum est, qui sentit dolorem, satis clarè percipit eum, scilicet esse in corpore suo, licet distinctè in qua sit corporis parte aut particula non percipiat. At verò, inquam ego, qui dolorem sentit ne clarè quidem semper percipit in qua sit parte aut particula corporis. Dolorem esse in corpore clarè & distinctè percipitur, in qua verò parte aut particula nec clarè, nec distinctè. Concedi tamen posset, ne de vocabulis litem cuiquam movere videamur, distinctam perceptionem referri ad illam sive corporis visionem sive mentis perceptionem, quæ de distinctis sive diversis partibus, vel quasi partibus, sive speciebus, adjunctis, qualitatibus, modis, actionibus, &c. Ità ut clara perceptio sit, qua rem simplicem clarè & evidenter percipimus; distincta verò qua in vel de re aliqua diversos, claros tamen habemus conceptus. Sic de Deo Ente simplicissimo, distinctos formamus conceptus, omnipotentiæ, scientiæ, æternitatis, justitiæ, misericordiæ, &c. unde & easdem perfectiones ratione distingui dicere solemus. Et hinc jam quoque patet, claram & distinctam perceptionem ratione ejusdem objecti non differre, cum id, quod clarè percipimus, etiam percipiamus distinctè, & quod distinctè non percipimus, ne quidem clarè percipiamus.

Falsum ergò & illud, quod continuò subjicit Cartesius, §. XLVII. *Et quidem in prima ætate mens ita corpori fuit immersa, ut quamvis multa clarè, nihil tamen unquam distinctè perceperit*; siquidem claros de re quapiam conceptus etiam distinctos esse necesse est; cùm, qui distincti non sunt, confusos, adeóque & obscuros esse ac minimè claros, oporteat.

teat. Neque proinde vera & genuina præjudiciorum, quibus mens nostra sæpissimè in veritatis indagatione impeditur, causa sita est in conceptibus claris, ut vult Cartesius; sed in obscuris & minimè claris: Nempè quod mens nostra vel ex relatione aliorum, vel ex rationibus quibusdam probabilibus & incertis, saltem nimis præcipitanter ante debitum rationum examen, de rebus ipsis judicarit.

QUÆSTIO XLIII.

De summis rerum generibus.

Quæ Prædicamenta sive Categorias vocant Peripatetici, nos summa rerum genera rectiùs dici arbitramur. Horum autem absolutè summum in Metaphysica nostra diximus esse τὸ *Aliquid*, *Exerc.* 111. Quia nihil in rerum natura fingi vel cogitari potest, de quo τὸ *Aliquid* non prædicetur. Omne autem Aliquid vel Ens est, vel aliquid Entis, quod propterea etiam *Non-Ens* appellare consuevimus, vel etiam Medium inter Ens & nihil; ut latiùs in Metaphysica ostensum est. Non-entium genera quoque varia ibidem recensita sunt, Accidens, Modus, Relatio, Actio, privatio, &c. Si tamen de Entium generibus quæstio sit, fatendum utique eorum duo tantùm genera summa enumerari posse; immateriale, & materiale, quorum illud Spiritus appellatur, hoc verò Corpus. Sed jam Cartesium de hoc negotio differentem audire operæ pretium esse videtur. Sic autem ille. §. XLVIII. *Quæcunque sub perceptionem nostram cadunt, vel tanquam res, rerumve affectiones quasdam consideramus, vel tanquam æternas veritates, nullam existentiam extra cogitationem nostram habentes. Ex iis quæ tanquam res consideramus, maximè generalia sunt substantia, duratio, ordo, numerus, & si quæ alia sunt hujusmodi, quæ ad omnia genera rerum se extendunt. Non autem plura quam duo summa genera rerum agnosco; unum est rerum intellectualium sive cogitativarum, hoc est, ad mentem sive ad substantiam cogitantem pertinentium; aliud rerum materialium, sive quæ pertinent ad substantiam extensam, hoc est, ad corpus. Perceptio, volitio, omnesque modi tam percipiendi quam volendi, ad Substantiam cogitantem referuntur; ad extensam autem magnitudo, sive ipsamet extensio in longum, latum & profundum, figura, motus, situs, partium ipsarum divisibilitas, & talia. Sed & alia quædam in nobis experimur, quæ nec ad solam mentem, nec etiam ad solum corpus referri debent, quæque, ut infra suo loco ostendetur, ab arcta & intima mentis nostræ cum corpore unione proficiscuntur; nempe appetitus famis, sitis,*

H *&c.*

&c. Itemqué commotiones, sive animi pathemata, quæ non in sola cogitatione consistunt, ut commotio ad iram, ad hilaritatem, ad tristitiam, ad amorem, &c. Ac denique sensus omnes ut doloris, titillationis, lucis & colorum, sonorum, odorum, saporum, caloris, duritiei, aliarumqué tactilium qualitatum. Varia hic notanda veniunt. Nam quod primò dicit Cartesius, *quæcunque sub perceptionem nostram cadunt*, id est, quæ à nobis vel mente nostra percipiuntur esse vel res earumve affectiones, vel veritates æternas, falsum est. Nam & Negationes, denominationes externæ, entia apparentia, possibilia, à mente percipiuntur, quæ tamen nec res sunt, nec earum affectiones, si propriè loqui velimus. Deinde & hoc falsum est, quod duratio, ordo, & numerus, tanquam res distinctæ seu Entia à nobis considerentur, aut ut talia verè percipiantur. Quod porrò duo Entium genera intellectualium sive immaterialium, & materialium videatur agnoscere, accipimus, idemqué & nos amplectimur, ut patet ex dictis. Quod verò Substantiam extensam vocet Corpus, quasi in mera extensione ipsius essentia consisteret, de eo jam à nobis actum est in *Specimine nostro. cap.* IV. Præterea, motum ad solum corpus referre videtur Cartesius, cùm tamen extra omne sit dubium etiam Spiritus finitos esse mobiles, & de loco moveri in locum, de cœlo in terram, &c. Denique, quamvis commotiones quædam sive affectus & animi pathemata, putà iræ, tristitiæ, gaudii, &c. partim ad corpus, partim ad mentem referri queant, appetitum tamen sive famem & sitim ad solum corpus referri optimo jure posse existimo; & similiter quoque sensus omnes passivè sumptos, quatenus in externarum specierum receptione consistunt, & cujusmodi etiam in brutis reperiuntur.

QUÆSTIO XLIV.

Utrum in Anima dentur species innatæ.

Docent Peripatetici animam esse instar tabulæ cujusdam rasæ, quæ nullas quidem in se species sive notiones ab origine habeat, iisdem tamen paulatim imbuatur atque perficiatur. Ego verò distinctione hic utendum existimo, Veritates enim aliæ sunt sua luce notæ, ut principia tum Theoretica, tùm practica; aliæ verò non nisi per consequentiam & discursum constant. Species veritatum prioris generis omnes animę innatas, sive congenitas, posterioris verò nequaquam judico. Veritates autem primas seu principia voco axiomata ἀναπόδεικτα atque inde-

indemonstrabilia; ut, *Idem non potest simul esse & non esse; quicquid fit, fit ab alio; Infinitum non potest pertransiri; Totum est majus sua parte; Deus est colendus*, &c. Hujusmodi veritates sive notiones dico menti sive animæ innatas; Si enim innatæ non essent & ab ortu inditæ, ratione aliqua sive ex alio principio demonstrari possent, adeoqué hoc ipso principia prima non essent, nec sua luce cognita, ut evidens. Cartesius hujusmodi Veritates æternas vocat, quod eo sensu admitti potest, quatenus ab æterno in mente divina fuerunt, sive quatenus æternæ veritatis similitudinem referunt. Semper enim verum est, & erit, Idem non posse simul esse & non esse, quod factum est, infectum fieri non posse, &c. Ità autem loquitur de hac re Cartesius, §. XLIX. *Cùm autem agnoscimus, fieri non posse, ut ex nihilo fiat aliquid* (id est, Ens compositum; Entia enim simplicia, omniaqué non-entium genera ex nihilo fieri certissimum est.) *tunc propositio hac, Ex nihilo nihil fit*, (id est, nullum Ens compositum,) *non tanquam res aliqua existens, neque etiam ut rei modus consideratur, sed ut veritas quædam æterna, quæ in mente nostra sedem habet, vocaturque communis notio, sive axioma. Cujus generis sunt: Impossibile est, idem simul esse & non esse: quod factum est infectum esse nequit: Is qui cogitat, non potest non existere, dum cogitat; Et alia innumera, quæ quidem omnia facilè recenseri non possunt, sed nec etiam ignorari cum occurrit occasio ut de iis cogitemus, & nullis præjudiciis excæcamur.* Ubi nihil amplius notandum occurrit, adeóque ad sequentia progredimur.

QUÆSTIO XLV.
Utrum Animæ seu mentes inter se sint æquales?

Affirmativam tenere videtur Cartesius, & quamvis communes illas notiones sive veritates innatas non æque ab omnibus percipi fateatur, non id tamen animarum inæqualitati aut cognoscendi facultatibus adscribendum putat, sed præjudiciis hominum. Sìc enim ipse procedit, §. L. *Et quidem quantum ad has communes notiones, non dubium est, quin clarè & distinctè percipi possint, alioqui enim communes notiones non essent dicendæ; ut etiam reverà quædam ex ipsis, non æquè apud omnes isto nomine digna sunt, quia non æquè ab omnibus percipiuntur. Non tamen, ut puto, quod unius hominis cognoscendi facultas latius pateat quam alterius; sed quia fortè communes ista notiones adversantur præjudicatis opinionibus quorundam hominum, qui eas idcircò non facilè capere possunt: etiamsi nonnulli alii, qui*

prajudiciis istis sunt liberi, evidentissimè ipsas percipiant. Ego quidem haud negaverim, quin homines suis nonnunquam præjudiciis usque adeò abripiantur, ut ad veritates sibi inditas non attendant; easque quasi opprimant &, (ut Apostolus loquitur, *Rom.* 1. 18) ἐν ἀδικίᾳ detineant. At verò etiam inæqualitatem seu diversitatem animarum quam plurimum huc facere existimo. Docet enim experientia unum hominem ad veritates mathematicas aliasve vel maximè subtiles percipiendas aptissimum esse, alium verò ineptissimum, ut eas capere nequeat, licet vel decies ipsi quam accuratissimè proponas; circa quas tamen nulla unquam præjudicia habere potuit, quia nihil unquam illarum ipsi innotuerit. Ità ut ex inæquali istac veritatis perceptione haud obscurè sententia nostra de inæqualitate animarum confirmari videatur. Hanc autem sententiam nostram pluribus demonstratam vide Philosophiæ meæ *Libro* IV. sive *Psychol. quæst.* VI. Et reverà, cum nihil affirmare velit Cartesius, nisi quando id jam clarè distinctéque verum esse percepit, jam mihi quoque ostendi cupiam: qua tandem ratione convictus aut persuasus sit, tamqué distinctè & clarè perceperit; quod unius hominis cognoscendi facultas haud latiùs pateat, quam alterius? Nunquid usque adeò clarè percipere unquam potuit, quousque se omnium hominum cognoscendi facultates extendant? Cumqué agendi facultates haud alia ratione, quam ex effectis & actionibus nobis cognoscibiles sint; tamqué diversæ hominum cogitationes, cognitiones, judicia, scientiæ, aliaqué mentium effecta indies conspiciantur quam longissimè discrepantia, nonne multò probabilius suspicabimur ipsa hujusmodi actionum & effectorum principia diversa esse, adeóque facultatem unius longissimè ab alterius differre? Prætereà, cum omnes pro liberrimo suo arbitrio creaturas condiderit Deus atque determinarit, eâ tamen diversitate, ut vel in minimis particulis vel numero duntaxat differentibus aliqua saltem diversitas notari queat; Nunquid omnium omninò hominum, qui jam inde ab initio in Mundo fuerunt, sunt & erunt posthac, animas prorsus inter se æquales fuisse, esse, & fore ulla ratione sit credibile? Aut, an unquam Deus se omnium hominum animas æquales semper conditurum revelavit? Cumqué diversitatem & varietatem in omnibus non tantùm specie, ut ajunt, verùm etiam numero distinctis creaturis esse voluerit; nunquid in mentibus aut animabus eam prorsus nullam esse immutabili lege voluisse putabimus? Et quis denique unquam mihi persuaserit, animam hominis, quem mentis prorsus impotem, & nullius judicii capacem adverto, corpore tamen sanum

ſanum & obeſum, tam perfectam natura ſua & ab ortu, quam illius, quem ſapientiſſimum experior: ubique domi, & judicio acutiſſimum, corpore tamen ægrum, cacochymicum, & quibuſvis pravis humoribus repletum? Ego quidem hanc Carteſii ſententiam, non niſi ex præjudicio quodam natam arbitror, cum nulla hactenus vel minima rationis ſpecies pro iſtac ſententia proferri poſſe mihi videatur. Quæ ergò in aliis carpit præjudicia liber philoſophus, iſtis ſeſe nondum prorſus eſſe liberum reipſa haud ſemel oſtendit. Atque adeò, quod communes notiones ab omnibus non æque percipi dicit, quod *fortè* iſtæ præjudicatis opinionibus quorundam hominum adverſentur, & nequaquam facultatum cognitivarum diverſitati, per *fortè* negari poteſt; nullumqué habere fundamentum jam demonſtratum eſt.

QUÆSTIO XLVI.
Quid ſit Subſtantia?

Ariſtotelici communiter Subſtantiam definiunt Ens per ſe exiſtens, & ſubſtans accidentibus. Hoſce nonnunquam ſequutus, adeoque præjudicio iterum laborans Carteſius, licet quam plurima liber Philoſophus, Subſtantiæ vocabulo nihil aliud intelligi poſſe ait, quam rem, quæ ità exiſtit, ut nulla alia re ad exiſtendum indigeat. Hæc enim ipſius ſunt verba, §. LI. *Quantùm autem ad ea, quæ tanquam res vel rerum modos ſpectamus, operæ pretium eſt ut ſingula ſeorſim conſideremus. Per Subſtantiam nihil aliud intelligere poſſumus, quam rem quæ ità exiſtit, ut nulla alia re indigeat, ad exiſtendum. Et quidem Subſtantia, quæ nulla planè re indigeat, unica tantùm poteſt intelligi, nempè Deus. Alias verò omnes nonniſi ope concurſus Dei exiſtere poſſe percipimus.* Nempe, hoc præjudicio implicatus Carteſius, quod Subſtantia rectè definiatur Res per ſe exiſtens, haud malè colligit ſolùm Deum eſſe Subſtantiam, & propriè ſic dici poſſe. At verò, ſi diligenter omni præjudicio depoſito advertamus, quid nomen Subſtantiæ in genere ſignificet, utique non tantum Deo, verùm etiam creaturis nomen illud attribui poſſe, manifeſtum erit. Ecquis enim Subſtantiæ vocabulo independentiam aut rem independentem, quæ nulla ad ſui exiſtentiam re indigeat, denotari exiſtimet? Certè quod Ariſtotelici Subſtantiam vocant, Ariſtoteles οὐσίαν dixit; quæ vox propriè *Eſſentiam* ſignificat, ut notum; adeoque rectius pro *Subſtantia*, *Ens* vel *Eßentiam* ſubſtituiſſent ipſius interpretes. Unde jam per ſe manifeſtum fuiſſet, nihil vulgari iſta ſubſtantiæ definitione ineptius

unquam cogitari potuisse, ut quidem à nobis latius est ostensum *Philos. lib.* I. *sive Metaph. Exerc.* VI. Ubi quoque alteram istius definitionis partem; (qua dicitur *per se existens*) examinavimus. Cùm verò Cartesius probè intellexerit, illam particulam (*per se existens*) in sensu negativo, ut quidem eam vulgó Peripatetici explicant, sumi non posse, eandem hoc loco positivè explicandam docet, ut *per se existere* sit, ità existere, ut nulla alia re ad existendum opus sit, sive, quod idem est, independenter existere; quo sensu solum Deum esse Ens certissimum est. Verùm enimverò, cum Entis vocabulum generalius sit, & independentia ipsius attributum, quod non solum Ens in genere, sed talè specificè designat, quod Ens independens vocare solemus; utique patet independentiam formaliter & præcisè Entis vocabulo non denotari, nisi quo sensu aliquandò vocabula generica κατ' ἐξοχὴν huic aut illi specificè attribui solent, & sic Deum solum Ens eminentiori modo dici libenter fatemur; Unde & ipsum Jehovam appellari alibi notatum est. Quod si verò communem & simplicem Entis aut Substantiæ significationem spectemus, utique non nisi id, quod essentiam habet aut existit, significari apertum est? Neque unquam alio sensu istoc vocabulum apud Authores reperiri constat, siquidem *Ens* dicitur, quod *esse* habet, & *esse* non tantùm dicatur Creator, sed etiam Creatura, quæ suum à Creatore *esse* accepit; Unde & Creator *esse independenter*, Creatura verò *dependenter esse* dicitur.

QUÆSTIO XLVII.

An Entis Nomen Deo & Creaturis univocè conveniat?

Substantiæ vocabulum haud adeò huic negotio conveniens esse ex præcedentibus satis superque constare arbitror. Quamvis enim de vocabulis disputari non debeat, si tamen iis veritati ullum fiat præjudicium, etiam ab iis abstinendum videtur. Imprimis autem *Substantiæ* vocabulum Deo attribui nolim. Et reverà, cum Substantiæ vox origine sua significare videatur situm sub alio, vel, ut communiter Peripatetici explicant, quod accidentibus substet, illisque quasi subjaceat, (unde quoque definiri à multis solet, *Ens per se subsistens, & substans accidentibus.*) quo fundamento quâve ratione Deo attribui velint Peripateticæ Philosophiæ patroni haud video. Nos ergò nomine Entis substituto, de eo quæstionem proponimus, *Utrum Ens Deo & creaturis univocè conveniat?* Hęc autem, ut intelligatur quæstio, notandum est *univocè* prędicatum sub-

ſubjectis ſuis convenire, quando non tantùm nomen prędicati, verùm etiam res & natura iſtoc prędicato ſignificata ſubjectis convenit, veluti cum *Animal* prædicatur de Leone, Equô, Lupo, &c. *Æquivocè* verò prædicatum ſubjectis convenire dicitur, quandò prædicatum ſecundum nomen duntaxat, non verò ſecundum rem ipſam aut quidditatem ſubjectis convenit, veluti cum *Homo* prędicatur de homine vivo & picto, Cancer de animali vivo, morbo, ac ſidere, &c.

Et hinc jam quoque conſtare arbitror, *Ens* de Deo & creaturis non prædicari *æquivocè*, ſeu quoad nomen tantùm, ſed *univocè*, id eſt, quoad rem ſeu naturam Entis nomine ſignificatam; Nam etiam Creaturę veram habent eſſentiam. Et hinc eſt, quod conceptus Entis, in quantum præſcindit à Deo & Creaturis, unus ſit in ordine ad Deum & Creaturas. Sicuti enim cum dico; *Deus eſt Ens*, ſenſus eſt, Deum non eſſe Ens fictum aut pictum ſed verum, ſeu habere veram eſſentiam; ità etiam cùm dico, *Creatura eſt Ens*, ſenſus eſt, Creaturam habere eſſentiam veram; Ità ut non nomine tantùm, verùm etiam re nomine ſignificata, ut Deus, ità & Creatura Ens appelletur. Unde & manifeſtum eſt, haud rectè Carteſium ex independentia ſive ex eo, quod Deus nulla alia re ad ſui exiſtentiam indigeat, colligere, quod nomen Subſtantiæ, ſive (ut ego loqui malo) Entis non conveniat Deo & Creaturis *univocè*. Sic enim loquitur, §. LI. *Atque ideò nomen Subſtantiæ non convenit Deo & illis* (creaturis) *univoce, ut dici ſolet in Scholis, hoc eſt, nulla ejus nominis ſignificatio poteſt diſtinctè intelligi, quæ Deo & creaturis ſit communis. Ens* enim quatenus prędicatur de Deo & Creaturis in genere & præciſè ſumptum, nec dependens eſt, nec independens, ſed ab utroque præſcindit. Dependentia & independentia Enti in ſpecie & tali convenit, nimirum illa creaturis, hæc Deo. Deinde, dependentia unius ab alio univocationem non tollit. Actio creaturæ dependet ab actione Dei, & tamen utriuſque actio *univocè* talis appellatur. Filius dependet à patre, & tamen uterque *univoce* homo & Ens dicitur. Inferior Similiter Magiſtratus à ſuperiori dependet, uterque tamen *univoce* dicitur Magiſtratus, regere, &c. Denique & hoc à Carteſio explicari velim, quando Subſtantiæ ſive Entis nomen Deo & creaturis non *univoce* convenire docet, utri Deo, an verò creaturæ non *univoce* conveniat? Neque enim negare audebit Deum *univoce* Ens dici, quia veram habet eſſentiam. Ecquis verò tandem creaturas *univoce* Entia aut Subſtantias dici non poſſe cogitet? Quamvis igitur Deus ſit Ens independens, excellentiori quoque modo ſic appelletur, *univoce* tamen, verè & propriè Entis nomen Ipſi & creaturis attribui ex dictis manifeſtum eſt. QUÆ-

QUÆSTIO XLVIII.
Unde Ens cognoſcatur?

De hoc negotio ità diſſerit Carteſius, §. LII. *Poſſunt autem Subſtantia corporea, & mens ſive ſubſtantia cogitans, creata, ſub hoc communi conceptu intelligi; quod ſint res, quæ ſolo Dei concurſu egent ad exiſtendum. Verumtamen non poteſt ſubſtantia primum animadverti ex hoc ſolo, quod ſit res exiſtens, quia hoc ſolum per ſe nos non afficit: ſed facile ipſam agnoſcimus ex quolibet ejus attributo, per communem illam notionem, quod nihili nulla ſint attributa, nullave proprietates, aut qualitates. Ex hoc enim, quod aliquid attributum adeſſe percipiamus, concludimus aliquam rem exiſtentem, ſive ſubſtantiam cui illud tribui poſſit, neceſſariò etiam adeſſe.* Nonnulla & hic notanda veniunt. Quod quælibet creatura, ſive immaterialis ſive materialis, ad exiſtendum continua Dei conſervatione indigeat, abſque omni dubio eſt. Quod verò eam conſervationem Concurſum Dei appellet Carteſius, non ità philoſophicum eſt; ſiquidem non philoſophi tantùm, quod ſciam omnes, verùm, & Theologi concurſus nomine actionem Dei intelligunt, qua cum actionibus creaturæ cooperatur, eaſve ad agendum movet, ut in Theologia noſtra naturali dictum, *Philoſ. Lib.* II. *Exerc.* XXI. Deinde, nec hoc adeò perſpicuum, quod addit Carteſius, non poſſe ſubſtantiam, id eſt, Ens primum animadverti ex hoc ſolo, quod ſit res exiſtens, ſed ex quolibet ejus attributo, quia nihili nulla ſunt attributa, &c. Nam, ſi Ens per ſe cognoſcibile ſit, quid impedit, quò minùs ut ſic à mente noſtra percipiatur? Cumque attributum ſit aliquid ſubjecto ſuperadditum, ab eoque ſaltem ratione diſtinctum, ſi ipſum immediatè à mente cognoſcibile ſit, quare non etiam ſubjectum ipſum? Et, ſi attributum afficere nos queat, quomodò non & ipſa res, cui attributum illud convenit? Si tamen de perfecta & adæquata rei cognitione inſtituatur quæſtio, utique non unius tantùm, ſed omnium attributorum, qualitatum, & proprietatum ad eam cognitionem requiri facilè concedo; at verò hujuſmodi cognitionem intellectus creati ſphæram longiſſimè ſuperare exiſtimo, eoque proinde perfectius rem cognoſci, quo plures proprietates & qualitates de ipſa percipiuntur, manifeſtum eſt. Denique, quod communem notionem dicit Carteſius, *Nihili nulla eſſe attributa*, ſiquidem per *Nihil* intelligit id omne, quod Ens non eſt) abſolutè negatur; quia multa ſunt non-entium genera, accidentia, actiones, relationes, privationes, modi,

modi, entia apparentia, &c. quibus tamen varia attribui possunt. Ut enim peccatum sive ἀνομία privatio sit & non-ens, varia tamen habet attributa, veluti cum dicitur magnum, parvum, leve, mortale, remissibile, causa mortis, &c. Ecquis verò hinc peccatum colligat esse substantiam sive rem subsistentem? Similiter esse patrem, regem, dominum Hollandum, &c. puræ sunt relationes sive denominationes extrinsecæ, & nequaquam res existentes: sive, ut Cartesius loquitur substantiæ: nunquid propterea nulla regis, patris, vel domini, dicemus esse attributa, nullas proprietates, aut qualitates? Quia tamen omne aliquid vel Ens vel Entis esse dicitur, utique nullum hactenus non-ens sive attributum cogitari posse videtur, quod non ad Ens aliquod, aliquam saltem relationem habeat, adeoque illud esse in rerum natura connotet. At verò & hic notandum, longè aliud esse cognoscere rem, aliud cognoscere rem aliquam existere; utut ergò detur, ex quolibet attributo existentiam rei colligi posse, nondum tamen ex eo ipsius rei cognitio concludi posset.

QUÆSTIO XLIX.

An cujusque Entis unum sit præcipuum attributum, quod ipsius naturam seu essentiam constituat?

Pergit Cartesius, §. LIII. *Et quidem*, inquit, *ex quolibet attributo substantia cognoscitur, sed una tantùm est cujusque substantiæ præcipua proprietas, quæ ipsius naturam essentiamque constituit, & ad quam omnes aliæ referuntur.* Quomodò ex quolibet attributo Substantia, id est, Ens cognoscatur, jam visum est; Nimirum: non quoad essentiam illius, sed quoad existentiam, quia omne attributum ad subjectum aliquod, cui attribuitur, relationem habet. Deinde, proprietates rei cum ipsius natura aut essentia confundit Cartesius; quamvis enim proprietates in re à subjectis suis differre nolim, ratione tamen inter se distingui posse certum est; ità ut alius sit essentiæ conceptus, alius verò proprietatis. Si enim ne rationis quidem distinctio intercederet, non amplius proprietas rei; sed res ipsa dicenda foret; Et propositio, qua de subjecto enunciatur proprietas, esset identica, quia idem prædicaretur de seipso. Quod propterea cujusque substantiæ sive Entis, unam præcipuam esse proprietatem docet Cartesius, quæ ipsius essentiam constituat, & ad quam omnes aliæ referantur, dicitur quidem, sed absque ratione. Ecquis enim omnes omninò alicujus Entis proprietates certò enumeret,

ret, ut, quænam inter eas primatum obtineat, explicando sit? In rhabarbaro vim inesse purgandi, in magnete ferrum attrahendi, in sole illuminandi, calefaciendi, &c. quis verò eas præcipuas esse definiat? Neque enim plures iis inesse haud posse, ulla ratione sit verosimile. Inesse quidem eas novimus; tot verò duntaxat, & non plures aut meliores, quæque proinde nobilior sit, aut ignobilior, ignoramus.

QUÆSTIO L.

An in extensione Corporis, in cogitatione verò Animæ essentia consistat?

Affirmativam tradit Cartesius verbis proximè sequentibus: *Nempè*, inquit, *extensio in longum, latum & profundum, Substantiæ corporeæ naturam constituit; & cogitatio constituit naturam Substantiæ cogitantis. Nam omne aliud quod corpori tribui potest, extensionem præsupponit, estque tantùm modus quidam rei extensæ; ut & omnia, quæ in mente reperimus, sunt tantùm diversi modi cogitandi.* In extensione corporis essentiam nequaquam consistere, satis superque à me demonstratum arbitror in specimine nostro *Examinis Philosophiæ Cartesii, cap.* IV. Sed, nec illa consequentia procedit: Omne aliud, quod corpori tribui potest, extensionem præsupponit; ergo extensio constituit naturam corporis. Quicquid enim ab aliquo præsupponitur, non continuò illius constituit essentiam. Effectus suæ causæ existentiam præsupponit, & lumen solis, neque tamen effecti naturam in causa, aut luminis in Sole constitues. Præterea, nec illud veritati satis consentaneum est, omne corporis attributum, esse *modum* duntaxat rei extensæ. Ecquis enim qualitates sensibiles, ut vocant, colores, sonos, sapores, odores, tangores, quæ corpori attribuuntur, *modos* appellet? Virtutes quoque internæ, quæ sensibus haud patent, & ratione duntaxat perceptibiles sunt, ut virtus ferri attractiva in magnete, necandi in veneno, &c. *modi* non sunt. Quod hæc cera jam quadratam, jam rotundam, oblongam, triangularem, &c. habeat figuram; ad *modos* refero; qualitates verò sive proprietates ipsi insitæ ad *modos* referri non possunt.

De Cogitatione, quod deinceps docet Cartesius, eam Substantiæ cogitantis naturam constituere, non minus absurdum, ne quid gravius dicam, mihi videtur. Nam, ut omittam, hac ratione & Deum, & Angelos cogitationes fore, quod ἀϑεόλογον, sequeretur Animam rationalem sive mentem immortalem hominis actionem esse duntaxat, & nequaquam.

quaquam Ens existens. Cogitatio enim cogitantis actio est, non verò natura aut essentia ejus rei, quæ cogitat; quemadmodum generatio actio generantis est, calefactio solis, non verò essentia ejus aut natura. Falsum denique & illud, omnia quæ in mente reperimus, esse tantùm diversos cogitandi modos; quia certum est diversas in mente esse rerum ideas, conceptus, actiones item seu operationes; ut intelligere, judicare, discurrere, dubitare, meditari, velle, amare, odisse, &c. licet interim singulas istas actiones etiam speciales modos habere posse lubens concedam, ut patet ex iis quæ supra ad *Quæst.* XIV. dicta sunt.

QUÆSTIO LI.

An Idea Entis tùm corporei tùm incorporei, sive creati, sive increati Dei, clara & distincta esse possit?

Cum Idea Entis corporei nihil aliud sit quam conceptus corporis sive Entis materialis, Entis verò incorporei nihil aliud quam conceptus Entis immaterialis sive spiritus cogitandi vim habentis; illudque iterum sit vel increatum, infinitum ac independens, vel creatum, finitum ac depèndens, utique tales in nobis esse ideas satis superque constat ex iis quæ supra à nobis disputata sunt. Unde quoque patere arbitror hujusmodi ideas satis claras atque distinctas esse posse, quatenus nempe id clarum distinctumque vocamus, de quo nulla dubitandi ratio superest; quemadmodùm & clarè distinctèque me hunc, quem manibus teneo, librum videre percipio, quia utrum videam nulla dubitandi ratio occurrit. Et hoc sensu admittimus & illa, quæ Cartesius habet, §. LIV. *Atque ità facilè possumus duas claras & distinctas habere notiones sive ideas, unam substantiæ cogitantis creatæ, aliam Substantiæ corporeæ; si nempe attributa omnia cogitationis* (Entis cogitandi vim habentis) *ab attributis extensionis* (id est, Entis materialis sive corporis) *accuratè distinguamus. Ut etiam habere possumus ideam claram & distinctam Substantiæ increatæ atque independentis, id est, Dei; modo ne illam adæquatè omnia quæ in Deo sunt exhibere supponamus, nec quicquam etiam in ea esse fingamus, sed ea tantùm advertamus, quæ reverâ in ipsa continentur; quæque evidenter percipimus ad naturam Entis summè perfecti pertinere. Nec certè quisquam talem ideam Dei nobis inesse negare potest, nisi qui nullam planè Dei notitiam in humanis mentibus esse arbitretur.* Ubi quoque rectè à Cartesio notatum video Ideam Dei non adæquatè nobis exhibere, quæcunque in Deo sunt. Cùm enim Deus sit infinitus & undique absolutè perfectus, utique perfectam

ejus atque adæquatam ideam intellectui finito ineſſe haud poſſe manifeſtum eſt. Neque tamen eſt, quod ex eo quis arguat, veram Dei ideam in nobis dari non poſſe, quia finitum infinitum repræſentare nequit. Nam ſi vera Dei idea non ſit, quæ finita eſt, nulla cognitio Dei, quæ in mente creata reperitur, vera erit, ſiquidem & illa finita eſt. Et ſic tandem, & Deum verbo ſuo de ſe cuncta fruſtrà revelaſſe, ſtatuendum erit; quia quicquid concipitur ſive ex natura ſive ex Scriptura, nil niſi finitum eſſe poteſt, ſi conceptus finitus infinitum repræſentare non valeat; omniſque proinde noſtra de Deo cognitio, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, non vera ſed falſa erit, quia finita eſt. Quomodò ergò Apoſtolus τὰ ἀόρατα τῦ Θεῦ nempe *æternam ipſius tùm potentiam, tùm divinitatem ex rebus conditis intelligi* aſſeruit *Rom.* 1. 20.? Dico igitur, Ideam Dei in nobis, ratione ſui eſſe & quidditatis, finitam & limitatam eſſe, eſt enim in mente, & extra eam non progreditur; ſed inde non ſequitur, objectum illius eſſe finitum aut limitatum, aut ut ſic à mente noſtra concipi, Sicut enim ex conceptu, quem in mente mea habeo de Sole, non rectè inferas, Solem conceptum haud majorem eſſe, quam illud eſſe, quod habet in mente mea: Similiter ex conceptu, quem habeo de Deo, non rectè infertur Deum à me conceptum finitum eſſe, licet illud eſſe objectivum, quod habet in mente mea, finitum ſit. Ex magnitudine imaginis ſeu ideæ non rectè magnitudo ſui exemplaris definitur. Quin imò ſpecies in exiguo ſpeculo apparens maximum mihi poteſt repræſentare corpus, cum tamen ſpecies in parvo ſpeculi ſpatio exiſtat. Quidni ergò Mens noſtra, licet admodùm limitata ſit & finita, poſſet mihi repreſentare Ens maximæ & infinitæ perfectionis? Si enim ſpecies corporea in viliſſimo quovis ſpeculo ſeu vitro, vel etiam oculo exiſtens, mihi poſſit repræſentare corpus nobiliſſimum; Quid mirum, ſi idea ſpiritualis in mente mea exiſtens mihi repræſentet Ens perfectiſſimum nempe Deum? Neque enim requiritur ut id, quod repræſentat, ſit æqualis perfectiones cum eo, quod repræſentatur.

Ut autem hæc omnia adhuc clariùs percipiantur, notandum eſt Ens abſolutè & præcisè conceptum non repræſentare finitum aut infinitum, quia mens ab utroque abſtrahit, & eatenus commune quid Deo & creaturis repræſentat, ut evidens. Poſteà verò mens deſcendendo concipit Entitatem Dei, & in eo tot advertit eſſe perfectiones, ut plures eſſe nequeant, quas tamen ipſa omnes enumerare aut percipere non poteſt; Entitatem verò creaturæ concipit eſſe limitatam, adeoque certis ali-

quot

quot perfectionibus definitam & quasi circumscriptam. Hinc jam Ens generalissimè sumptum subdividit in *Infinitum*, & *finitum*, *absolutè perfectum* & *imperfectum*, &c. Atque ità mens nostra in se format Dei Ideam, quatenus nempe communissimo isti entitatis conceptui adjicit infinitatem seu omnimodam perfectionem, dicendo: Deus est Ens omni-perfectum, infinitum, illimitatum, independens, &c.

Constat ergò ex hoc discursu veram & claram in mente humana dari Ideam, quæ nobis ens infinitum sive Deum repræsentet, idque negari non posse, nisi hominem natura sua atheum faciamus; quod tamen non obstat, quò minùs ista aliquandò in nobis Dei idea admodùm obscurari queat, sicut & Apostolus τὴν ἀλήθειαν gentibus innatam ἐν ἀδικίᾳ ab iisdem detineri luculenter demonstrat *Rom.* 1. 18.

QUÆSTIO LII.

De Duratione, ordine, & numero.

De hisce sic progreditur Cartesius §. LV. *Duratio, ordo & numerus, à nobis etiam distinctissimè intelliguntur, si nullum iis substantiæ conceptum affingamus, sed putemus, durationem rei cujusque esse tantùm, sub quo concipimus rem istam, quatenus esse perseverat. Et similiter, nec ordinem, nec numerum esse quicquam diversum à rebus ordinatis, & numeratis, sed esse tantùm modos sub quibus illas consideramus.* Nempe durationem, ordinem, & numerum modos duntaxat esse vult Cartesius, non verò substantias aut res ipsas, quibus attribuuntur. Ego quidem hæc omnia, licet realiter quidem à suis subjectis nequaquam distingui putem, modos tamen non esse dixerim. Quo enim jure, quave hoc ipsum ab ipso ratione fiat, non audio. Num ergò æternitatem Modum Dei esse dicemus, quia illius duratio sic appellatur? An Tempus modus rerum quæ oriuntur & intereunt. Nonne rectius multò durationem dicemus esse ipsam rei existentiam permanentem, seu potiùs permanentiam rei in existendo? Hæc autem in creaturis tanquam conservationis divinæ terminus optima ratione concipi potest; Sicut enim creando Deus creaturis τὸ existere actu contribuit, ità conservando easdem in τῷ existere permanere facit. Ordinem & numerum non quidem res esse à rebus numeratis aut ordinatis diversas concedo; at num propterea modi tantùm sunt? Cartesio certè nihil aliud in rerum natura esse aut percipi posse videtur, quam res seu Entia & modos rerum, cum tamen etiam negationes, & privationes, & relationes, & entia apparentia, alia-

que plura de rebus consid rari queant, ut ex Metaphysica mea patet. Dico igitur, Ordinem esse actionem ordinantis, seu dispositionem quandam partium ab ordinante institutam. Sicut enim calor se habet ad causam calefacientem, putà ignem aut Solem, ità ordo ad ordinantem, Estque id ipsum quod ab ordinante in rebus producitur, quod & Situs partium, earumve mutua inter sese relatio ratione loci, seu aspectus appellari potest. Numerus nihil aliud, quam unitatum pluralitas seu multitudo ac congeries esse videtur; Cum ergò unitas in re ab eo, quod unum dicitur, non differat, utique multitudinem in re ab rebus numeratis haud differre evidens evadit, adeoque Modi rationem nequaquam obtinet.

QUÆSTIO LIII.

Quid sint modi, qualitates, attributa, prædicata, affectiones?

Equidem mirari licet, quod Cartesius, qui præ cæteris accuratè philosophari velle visus est, novumqué prorsus Philosophandi modum introduxit, curam vocabulorum sive terminorum tam parùm habuerit. Ut enim quamplurima, quæ hujus non sunt loci, omittam, ecce nunc Modos, qualitates, attributa, pro iisdem ferè habet. Sic enim loquitur §. LVI. *Et quidem per modos hic planè idem intelligimus, quod alibi per attributa, vel qualitates. Sed cum consideramus substantiam ab illis affici, vel variari, vocamus modos; cum ab ista variatione talem posse denominari, vocamus qualitates; ac denique, cum generalius spectamus tantùm ea substantia inesse, vocamus attributa. Ideoque in Deo non propriè modos aut qualitates, sed attributa tantùm esse dicimus, quia nulla in eo variatio est intelligenda. Et etiam in rebus creatis, ea quæ nunquam in iis diverso modo se habent, ut existentia & duratio, in re existente & durante, non qualitates, aut modi, sed attributa dici debent.* Ego, licet hæc vocabula à vulgò promiscuè sæpè usurpari probè sciam, Philosophi tamen esse reor hæc omnia paulò accuratiùs distinguere; cum certum sit, ex promiscua vocabulorum acceptione maximam in rebus ipsis, seu potiùs conceptibus de iis, confusionem proficisci. Vt ergò accuratos de singulis conceptus formare discamus, hac ratione vocabula istæc distingui posse arbitramur. Et quidem primò *Qualitatis* vocabulum latissimè patet, ut à me notatum est in *Metaph. Exerc.* XIII. Cùm enim *Qualitas* formale sit seu abstractum *Qualis*, utique qualitatem dici posse ap-

paret id omne: à quo subjectum quale vel tale appelletur. Et hoc sensu etiam, qualitates quo minus Deo attribui queant, non video. Neque enim putandum qualitates omnes esse accidentia, quorum Deus, utpote Ens simplicissimum, Expers est; cum ne quidem in creaturis qualitates semper à subjectis suis distingui, aut accidentia esse alibi à me probatum sit. *Accidens* mihi dicitur, quod subjecto ità accidit, ut ipsi inhæreat, illudque penetret, quodque ab eo salva illius essentia abesse possit, ut calor in aqua, ferro, &c. *Modus* verò, quod subjectum duntaxat quasi modificat, illudque hoc vel illo modo se habere facit, veluti cum homo dicitur stare, vel sedere, jacere, &c. Hujusmodi autem Modi non in Entibus solùm, verùm etiam in accidentibus, actionibus, aliisque id genus repeniuntur, veluti cum diversi caloris numerantur gradus; cum quis benè vel malè, hoc vel illo modo loqui, ambulare, docere, &c. dicitur. *Prædicatum* quoque latissimè patet, diciturque simpliciter illud omne, quod de aliquo prædicatur, sic cum Petrus dicitur Homo, *Homo* dicitur Prædicatum Petri. *Attributum* tale prædicatùm esse videtur, quod non ipsam essentiam subjecti significat, sed aliquid ipsi superadditum, & ratione saltem ab essentia distinctum; quo enim jure attributum rei quispiam appellet rem ipsam, aut quod ipsius essentiam constituit? Ac proinde, licet Homo sit prædicatum Petri, illius tamen attributum dici non potest. *Affectio* denique mihi dicitur id, quo aliquo modo afficitur aut variatur subjectum, adeóque ab Accidente vix aut parum differre videtur. Atque hæc de horum terminorum significatione jam sufficiant, quos, cum à Cartesio confundi viderem, paulò accuratius hoc loco explicare operæ pretium duxi.

Sed & hoc notandum, Cartesium hac periodo docere durationem in rebus creatis non Qualitatem aut Modum dici debere, cùm tamen proximè præcedenti durationem rei cujusque modum duntaxat esse asseruisset. Adde & haud rectè existentiam attributum hic ab ipso vocari, cum attributum semper aliquid rei existenti superadditum significet, ut jam modò dictum est.

QUÆSTIO LIV.
Quid sit Tempus?

De Tempore satis superque à nobis actum in Physica, *Phil. Lib.* VII. *Exerc.* XIV. Et in idea Physicæ; *Disp.* IV. Sed jam ipsum de eo differentem Cartesium audiamus, *Alia*, inquit §. LVII. *sunt in rebus ipsis*,

quarum

quarum attributa vel modi esse dicuntur; alia verò in nostra tantùm cogitatione. Ità cum tempus à duratione generaliter sumpta distinguimus, dicimusque esse numerum motus, est tantùm modus cogitandi. Neque enim profectò intelligimus in motu aliam durationem quam in rebus non-motis: ut patet ex eo, quòd si duo corpora, tardè, aliud celeriter, per horam moveatur, non plus temporis in uno quam in alio numeremus, etsi multò plus sit motus. Sed ut rerum omnium durationem metiamur, comparamus illam cum duratione motuum illorum maximorum, & maximè æquabilium, à quibus fiunt anni & dies; hancque durationem tempus vocamus. Quod proinde nihil, præter modum cogitandi, durationi generaliter sumpta superaddit. De Duratione jam quoque suprà actum est, eamque à re durante non differre dictum, nisi quod existentiæ ejusdem extensionem quandam sive brevem sive longam superaddat. Tempus quoque materialiter sumptum nihil aliud esse cum Cartesio asserimus; at verò formaliter spectatum, & sumptum pro communi omnium durationum particularium mensura, esse mentis opus. Quod enim ex motu solis per Zodiacum numeremus annos, eosque in duodecim menses, hosce iterum in dies triginta, vel triginta & unos, dies denique in viginti quatuor horas distribuamus, id prorsus ab libero mentis arbitrio dependet, ut consideranti clarum est.

QUÆSTIO LV.
Quid & quot sint Universalia.

Quia hoc loco Cartesio de universalibus agere visum fuit, nos ipsius prementes vestigia etiam de illorum natura, productione & numero sententiam nostram paucis exponemus. Cartesius postquàm §. LVIII. universalia omnia, quæ vocant. modos cogitandi duntaxat esse dixisset, sic porrò de iis disserit, §. LIX. *Fiuntque hac universalia ex eo tantùm, quod unâ & eadem ideâ utamur ad omnia individua, quæ inter se similia sunt, cogitanda: Ut etiam unum & idem nomen omnibus rebus per ideam istam repræsentatis imponimus, quod nomen est universale. Ita cum videmus duos lapides, nec ad ipsorum naturam, sed ad hoc tantùm quod duo sunt, attendimus, formamus ideam ejus numeri, quem vocamus binarium, cumque posteà duas aves, aut duas arbores videmus, nec etiam earum naturam, sed tantùm quod duæ sint consideramus, repetimus eandem ideam quam prius, quæ ideò est universalis; ut & hunc numerum eodem universali nomine binarium appellamus. Eodemque modo, cum spectamus figuram*

tribus

tribus lineis comprehenſam, quandam ejus ideam formamus; quam vocamus ideam trianguli; & eadem poſteà ut univerſali utimur, ad omnes alias figuras tribus lineis comprehenſas animo noſtro exhibendas: Cumque advertimus, ex triangulis alios eſſe habentes unum angulum rectum, alios non habentes, formamus ideam univerſalem trianguli rectanguli, quæ, relata ad præcedentem ut magis generalem, ſpecies vocatur; Et illa anguli rectitudo, eſt differentia univerſalis, qua omnia triangula rectangula ab aliis diſtinguuntur; & quod in iis baſis potentia æqualis ſit potentiis laterum, eſt proprietas iis omnibus & ſolis conveniens: Ac denique, ſi ſupponamus, aliquos ejuſmodi triangulos moveri, alios non moveri, hoc erit in iis accidens univerſale. Atque hoc pacto quinque univerſalia vulgò numerantur, Genus, ſpecies, differentia, propriū & Accidens. Univerſalia in rerum natura nulla eſſe extra Philoſophorū mentem ſatis manifeſtum fore exiſtimo ex iis, quæ de hoc negotio à me ſcripta ſunt in Metaphyſica. *Exercit.* XXV. Adeoque hactenus Carteſio aſſentior, quod ea in mente eſſe aſſerat. Modos tamen cogitandi non dixerim, cum potius ſint formæ quædam ſeu ideæ ab individuantibus proprietatibus abſtractæ, quatenus aliquid omnibus commune repræſentant; Quod cum ſatis dilucidè in ſequentibus à Carteſio explicetur, nihil nobis hic adjiciendum exiſtimo.

Quod verò quinque hic vulgò numerari Univerſalia dicit Carteſius, Genus, ſpeciem, differentiam, proprium, & Accidens, verum quidem eſt, ſed tamen ità ſe rem habere non eſt verum. Si enim differentia, proprietas, vel accidens conſideretur ut univerſale quid, jam generis aut ſpeciei rationem habebit, non differentiæ, proprii, aut accidentis. Cum enim rectitudo anguli prædicatur de rectitudine multorum triangulorum rectangulorum, rectitudo genus eſt vel ſpecies, ſub ſe omnes rectangulorum rectitudines continens, eaſve repræſentans. Similiter, cum riſibilitas, quæ vulgò hominis ſtatuitur proprietas, prædicatur de riſibilitate Petri, Pauli, &c. Species eſt, non minus quam cum ſcientia prædicatur de hac aut illa ſcientia in particulari: Ità ut non quinque, ſed duo tantum Univerſalia propriè ſic dicta conc[illegible]oſſe videantur.

QUÆSTIO LVI.
De variis diſtinctionum generibus.

Numerus, inquit Carteſius §. LX. *in ipſis rebus oritur ab earum diſtinctione: quæ diſtinctio triplex eſt, realis, modalis, & rationis. Realis propriè tantum eſt inter duas vel plures ſubſtantias: Et has percipimus à ſe mutuò re-*

aliter esse distinctas, ex hoc solo, quod unam absque altera clarè & distinctè intelligere possimus, &c. Gravissimę de distinctionibus rerum inter Philosophos sunt controversiæ, eædemque ûsque adeò intricatæ & obvolutæ, ut, quo te vertas aut pedem referas, vix cognoscas. Haud ergò pręter operæ pretium me facturum existimo, si & hic meam super hac re sententiam paucis exposuero. Notandum igitur, Quæstionem de distinctione rerum non procedere de ejusmodi rebus seu entibus, quæ jam actu divisa sunt, aut separata existunt: Ecquis enim quærat, utrum Sol & Luna distinguantur, aut distincta entia sint? Similiter quęstio non est, de rebus in diversis subjectis aut locis collocatis, vel etiam diversis temporibus existentiam habentibus; Veluti an distinguantur accidentia, modi, qualitates &c. Petri ab accidentibus, modis, & qualitatibus Pauli; utrum distinguatur corpus ab illius specie aut imagine in speculo apparente: Quis enim dubitet? Omnis ergò de hoc negotio difficultas esse videtur de distinctione eorum, quæ, licet conjuncta sint, diversis tamen à mente nostra conceptibus percipiuntur. Veluti, utrum & quomodò distinguantur anima & corpus, facultates animæ, intellectus & voluntas, tum inter se, tum ab ipsa anima, immensitas & omnipotentia in Deo, corpus & illius proprietates, totum & partes, subjectum & accidens, relatio, modus, actio, &c. tum denique accidentia ipsa, modi, relationes, actiones &c. inter se, quæ eodem subjecto attribuuntur.

De hisce ergò notandum est, horum quædam esse, quæ ab invicem separabilia sunt, ità ut etiam separata existere queant, ut anima rationalis & corpus; Quę dam verò ità esse conjuncta, ut quidem non inter se separari queant, & separatim simul existere, sed ità tamen ut uno remanente alterum evanescat & pereat, ut subjectum, & illius accidens, modus, actio, &c. Quædam denique tam arctè esse conjuncta, ut nequaquam separari queant, unumve absque altero in rerum natura inveniri, ut anima & intellectus; Item, intellectus & voluntas, omnipotentia & immensitas in Deo, Spiritus & immortalitas, subjectum & illius proprietas, totum & ill[illegible]ars, &c. Quæ tamen singula diversis à mente nostra conceptibus apprehendi possunt. Quæ enim in re inseparabilia prorsus sunt, ità ut ne mente quidem ulla distinctionis ratio excogitari queat, distincta non esse, sed identica manifestum est.

Et hinc jam apparere existimo, tria imprimis esse distinctionum genera, Majorem, mediam, & minimam. Distinctione majori distinguuntur ea, quæ inter se separabilia sunt, ut anima & corpus humanum. Et hac ratione etiam distingui videntur accidentia; Item, actiones, modi;

di; & id genus alia, quæ eidem ſubjecto quidem attribuuntur, eorum tamen unum abſque altero eſſe poteſt; ut, fides & ſcientia in eadem mente. Diſtinctione media diſtingui videntur ea, quorum unum altero evaneſcente exiſtit tamen, ut ſubjectum & illius modus, actio, accidens, &c. ut, aqua & calor ipſi inhærens, Sol & illius calefactio &c. Et huc etiam retulerim diſtinctionem illam, quam alibi dixi per modum includentis & incluſi, veluti quando totum diſtinguitur à ſuis partibus, Individuum à ſpecie, ſpecies à ſuo genere, &c. Diſtinctione minima diſtinguuntur ea, quæ inter ſeſe ſeparari nequaquam poſſunt, neque unum ulla ratione eſſe abſque alio, cujuſmodi ſunt attributa Dei, animę & illius facultates, ſubjectum & proprietas, &c. Quæ diſtinctione maximâ diſtinguuntur, vulgò *realiter* diſtincta dicuntur, quæ minima *ratione* vel etiam *formaliter*, quod diverſis vel etiam diſtinctis conceptibus, qui ſunt quaſi formæ quædam menti inhærentes, percipiuntur. Mediam diſtinctionem quidam *Modalem* vocant, ut hic Carteſius; Nos *Aliqualem* appellare poſſumus. Diſtinctio maxima in re ipſa eſt ante omnem mentis operationem; minima non niſi in mente reperitur & poſt illius operationem; Media quoque abſque mentis operatione in rebus invenitur, quia tamen mutua ſeparabilitas in iis cogitari nequit, *aliqualis* duntaxat nobis dicenda videtur. De verbis enim quæſtio eſſe non debet, ubi de re conſtat, modò veritati nullum inde accedit præjudicium.

Atque hactenus breviter me examinaſſe videor ea, quę philoſophiæ ſuæ primo de Philoſophię principiis libro Carteſius ediſſerit. Quæ enim in ſequentibus tradit de cogitatione & extenſione, quas vel ut ſubſtantiam tum cogitantem, tum corpoream concipi poſſe vult, vel ut modos duntaxat cogitandi diverſos; De aliis item cogitandi modis, ut vocat, intellectione, imaginatione, recordatione, volitione, &c. ſatis ſuperque ſuprà diſcuſſa ſunt. Quæ inſuper habet de ſenſibus, affectu, & appetitu, voluptate ac dolore, nec non de colore, ſapore, odore, longioris ſunt explicationis. Cumque de iis hoc loco ne ipſe quidem Carteſius accuratè agere voluerit, quia nondum ipſi, ullum corpus exiſtere probatum videtur, ut hiſce examinandis longius immoraremur, operæ pretium non putavi. De modis denique cognoſcendi, verum à falſo diſcernendi, cauſiſque errorum ac præjudiciis, quę ſubjungit, cum ex antedictis aperta ſint, nihil addere viſum fuit; adeoque & harum mearum ad hunc Philoſophiæ Carteſii librum primum exercitationum hic eſto.

F I N I S.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA,

Qua refutantur argumenta Aristotelis, Procli, item & Averrois, aliorumque, quibus æternitatem Mundi probare conati sunt.



Uamvis nullus unquam tam gravis potuerit cogitari error, quin suos, à quibus sit propugnatus, invenerit patronos, pro nullo tamen majori cum diligentia atque labore, quam pro gravissimo illo de æternitate Mundi, dimicatum fuisse existimo. Cum autem hic error ipsum Sanctissimum Dei amanuensem Mosen petat, ejusque quam de Creatione conscripsit Historiam in dubium vocet, adeoque sacrarum Literarum authoritatem directè destruat, mirari licet, cum tanto periculosissima hæc opinio à suis studio defendatur, tam paucos inter Orthodoxos reperiri, qui in explicandis refellendisque eorum rationibus & argumentis satis perplexis operam ponant: Hoc ergò & nobis agendum esse putavimus, ne vel hic S. Literarum authoritas vel minimum labefactetur, ejusve veritas controvertatur, & gloria Dei ex nova Mundi creatione tantò clarius elucescat. Argumenta, quibus varii Mundi æternitatem demonstrare conati sunt, referuntur inter alios à Benedicto Pererio numero LVI. Nempe XII. Aristotelis, XX. Procli, XII. Averrois, & denique XII. Aliorum quorundam Peripateticorum, ut videre est in ipsius Physicæ, *Lib.* XV. *cap.* 2.3.4. &c. Ubi & ad ea suo modo, & juxta principia Philosophiæ suæ peripateticæ respondet. Quia verò nostræ Philosophiæ fundamenta quam maximè à Peripateticorum placitis diffident, utique etiam nonnunquam aliter ad difficultates istas ex nostris principiis respondendum esse apparet. Responsionibus ergò Pererii suis Peripateticis relictis, nos solummodò ex ipso adversariorum argumenta proponemus, & ad singula breviter atque perspicuè, quantum fieri potest, respondere conabimur.

Et quidem primo loco respondebimus ad argumenta Aristotelis; hujus autem primum desumptum ex Lib. I. Phys. sic habet: *Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis, alioquin enim, cum necessarium sit aliquod sub-*

subjectum omni generationi praexistere, & omni corruptioni superesse, aut daretur alia materia prior, quam prima: aut eadem, quæ prima est, antequam generaretur existeret, & post interitum superstes esset: Oportet ergò materiam primam æternam esse. Non potest autem sine forma materia unquam existere, quare recreatio formarum sempiterna est. Ex quo fit, ut motum & Mundum sempiternum esse necesse sit. Resp. Materia prima, quæcunque intelligatur ab Aristotele, utut potentia naturali aut virtute Physica produci nequeat, infinita tamen virtute Dei eam producibilem esse, & actu creatione productam asserimus. Etiamnum nullum Ens compositum aut corpus in Mundo generari nisi ex materia præexistente, libenter concedimus; siquidem ejusmodi generatio nihil aliud est quam variarum particularum jam existentium apta & conveniens ex naturæ ordine compositio; similiter & nullum compositum nisi in suas, ex quibus compositum est, particulas resolvi posse manifestum est; Unde & easdem post compositi corruptionem esse superstites haud est mirum. At verò longè aliter se res habet in creatione, quia per illam omnium rerum materiam primam ex nihilo infinita Dei virtute conditam tenemus, sicut & eàdem ipsam in nihilum redigi posse verissimum est. Quamvis igitur materiam primam ingenerabilem & incorruptibilem demus ratione virtutis creatæ, eandem tamen creabilem & annihilabilem statuimus ratione virtutis increatæ, id est, Dei.

Secundum argumentum sumptum ex *Lib.* VIII. *Phys.* est tale: *Ipsum mobile prius est motu, cujus est subjectum. Quare, si aliquando motus cæpit esse, subjectum illius primi motus, quod ipso motu prius esse diximus, aut generatum fuit, aut sempiternum; sed cum generatio sine motu fieri nequeat, alius motus prior præcessisset primum motum: sin autem mobile sempiternum fuit, motu tamen carens, credendum profectò est, aliquod impedimentum fuisse, vel in ipso mobili, vel in movente, propter quod in tota illa æternitate motus esse non potuerit, illo autem sublato, deinde motus esse cæperit: at talis impedimenti remotio sine motu fieri non potuit: quare ante primum motum fuisset motus, quod est absurdum. Nunquam igitur motus cæpit esse.* Resp. Mobile omne prius esse motu concedi potest de prioritate naturæ, ut loquuntur, de prioritate verò temporis negatur; sicuti enim Sol nunquam fuit sine lumine, ità quoque concipi corpus potest mobile, quod cum primo sui esse moveri cæperit. Dico igitur, cum Mundo etiam motum incepisse, Mundumque non generatum cum motu ex præjacente aut præexistente materia, sed ex nihilo à Deo ex liberrimo suo arbitrio in principio absque motu productum. Ut ergò Mobile, ità & cum eo motus aliquando

eſſe cæpit, abſque motu prævio. Mobile enim illud primum in inſtanti abſque motu conditum. Falſum igitur, quod in argumento ſumitur, *ſubjectum primi motus* ſive primum mobile *fuiſſe aut generatum*, ſc. cum motu, *aut ſempiternum*, cum nec generatum ſit motu phyſico, nec ſempiternum, ſed in inſtanti abſque motu creatum, ut dictum.

Argumentum tertium ex eodem libro eſt tale: *Tempus ſempiternum eſt, nam ſi cæpit eſſe, verum erit dicere, aliquando tempus non fuiſſe, & non eſſe temporis prius fuiſſe, quam eſſe illius; At prius & aliquando ſunt differentiæ ipſius temporis, ergò ante generationem temporis fuiſſet Tempus. Quod ſi Tempus ſempiternum eßet, neceſſarium eſt motum item oportere æternum eſſe. Ut enim in 4. Phyſ. oſtenſum fuit, tempus vel eſt motus, vel non eſt ſine motu.* Reſp. Si Tempus ſumatur pro duratione rei phyſicæ, vel etiam Solis, aut primi mobilis, falſum eſt illud eſſe æternum, proindeque verè dici poteſt aliquandò non fuiſſe tempus, & *non-eſſe* temporis prius fuiſſe, quam *eſſe* illius; ſicut & verè dici poteſt, aliquandò non fore tempus. Notandum igitur particulas illas *prius*, & *aliquandò*, in quo tempus non fuiſſe dicitur, non ſignificare differentiam, aut habere rationem, temporis, (ſic enim tempus ante tempus fuiſſe dicendum foret, quod eſt contradictorium) ſed eſſe particulas quaſi infinitæ durationis divinæ ſive æternitatis, ut ſenſus ſit, Deum fuiſſe priuſquam vel antequam eſſet tempus, & in aliquo momento æternitatis (quæ principii & finis expers eſt, & tanquam ab æterno in æternum extenſa duratio concipitur) tempus ſeu rerum phyſicarum durationem incepiſſe.

Quartum argumentum ex eodem lib. §. XXI. *Abſque ipſo* Nunc *nullum tempus eſſe poteſt: Omne autem* Nunc, *cum ſit præſens, eſt intermedium, nempe finis præteriti, & principium futuri: Nullum igitur tempus aut eſſe aut cogitari poteſt, ante quod aliud tempus non fuerit, & poſt quod aliud tempus futurum non ſit: ob quam etiam cauſam motum, ſine quo tempus eſſe nequit, principio & fine carere neceſſe eſt.* Reſp. Falſum eſt omne *Nunc* eſſe intermedium inter tempus præteritum & futurum, adeoque eſſe finem præteriti & principium futuri; ſicut enim Lineæ non tantum dantur puncta intermedia, & particulę, quæ utrinque alias ſibi particulas habent connexas, quæ Lineam efficiunt; verum etiam primum punctum ſeu prima particula, quæ ejuſdem principium appellatur; Perinde quoque temporis datur primum *Nunc*, ſive prima durationis phyſicæ quaſi particula, quæ & principium temporis dici ſolet. Quemadmodum etiam unumquodque particulare Ens vel corpus proprii ſui temporis, & primum & ultimum ſuo eſſe *Nunc* habet. Si verò de *Nunc* æternitatis quæſtio ſit, fatemur

temur eam ut finis, ità & principii expertem esse; at verò eam absque rerum physicarum motu aut existentia esse non potuisse, probandum erat, non gratis sumendum. Et quid si ponamus omnia nunc corpora, Cœlum, Solem, aut quodcunque mobile à quo tempus nostrum mensurari solet, quiescere, (quod saltem nemo impossibile dixerit,) nunquid propterea tempus non esset, aut rerum conditarum duratio cessaret? Constat ergò durationem posse esse absque motu, & conseq. falsum esse, quod Aristoteles docet, durationem aut tempus sine motu esse non posse. Quamvis interim fateamur, nobis tempora nostra, annos, menses, dies & horas ex motu Solis sive vero sive apparente mensurare in usu esse; quod tamen liberi arbitrii opus esse alibi à nobis ostensum est.

Quintum argumentum ex eodem lib. §. xv. *Nihil inordinatum est eorum, quæ secundum naturam fiunt. Natura enim causa est ordinis in omnibus; Ordo autem omnis in quadam proportione consistit: infinito autem quasi tempore Deum quievisse, posteà verò aliquandò Mundum fecisse, hujus autem nullam esse differentiam, quare nunc potius, quam prius, neque rursus aliquem ordinem habere, non amplius natura est opus: Nam quod secundum naturam fit, simpliciter ac semper ità fit, ut ignem naturaliter ferri sursum: aut si aliquandò non ità fit, subest naturalis causa, & probabilis ratio potest reddi, cur non ità fiat, ut in monstris evenit. Non igitur Deus ab aliquo initio Mundum condidit.* Resp. Præsupponit hoc argumentum Deum agere ex necessitate naturæ, quod est falsissimum; Est enim Deus ut perfectissimum, ità & liberrimum agens, quem proinde ex liberrimo suo arbitrio Mundum hunc ex nihilo condidisse constanter asserimus. Quare autem in illo, quo condidit, æternitatis suæ momento, & non in alio, ante vel post, condiderit, ipse novit. Eorum certè, quæ à libero Dei beneplacito dependent, rationes rimari nostri non est. Ecquis explicando erit, quare Deus Mundum hac determinata magnitudine, figura, modo, hasce iterum vel illas creaturas tali figura, forma, quantitate, aliàque id genus quamplurima condiderit? Viæ Dei infiniti nobis homunculis imperverstigabiles sunt, & in ejusmodi in sola voluntate Dei acquiescendum. Quod proinde hoc vel illud secundum naturam esse dicatur, fiatque hoc vel illo ordine, habeatque hanc vel illam proportionem, Soli Deo attribuendum, qui cùm naturæ author sit, eandem pro arbitrio ordinavit & instituit.

Sextum argumentum ex eodem lib. §. LIII. & ex lib. II. de generatione §. LVI. *Idem manens idem, semper est natum facere idem; Cùm igitur Deus semper idem sit, & immutabilis ac semper eodem modo permanens,* vel

vel semper Mundum fecit & faciet, vel nunquam fecit, nec unquam faciet, aliquando enim non facere, & aliquando facere, varietatem quandam arguit in opifice inesse. Resp. Idem manens idem, semper idem facere licet concedi possit de causa naturali ex necessitate operanti, falsum tamen est de causa libera seu operanti ex libertate arbitrii, cujusmodi causam Deum esse jam modò dictum est. Et reverà, si hoc argumentum procederet, jam non tantum idem semper à Deo fieri debere sequeretur, verum ne unquam quidem quod diversi ab ipso produci posse, cum semper idem immutabiliter permaneat. Deinde & hoc falsum est, aliquandò non facere & aliquando facere varietatem quandam in opifice arguere, quia semper Deus agit juxta æternum suum decretum, quod cum immutabile sit, ipse quoque immutabilis maneat necesse est. Sed neque ratione causæ necessariò agentis perpetuò illud dictum (*Idem manens idem semper facit idem*) verum est; Sol enim neque semper, neque eosdem semper effectus in terra producit, quamvis ipse idem semper permaneat, siquidem hujusmodi effectorum diversitas aliundè provenire potest. Denique & hoc notandum, effecta, quę extra essentiam causæ suæ producuntur, nullam in ipsa mutationem realem efficere posse; Cum ergò Mundus sit extra Deum, utique ejusdem creatione nullam in ipso mutationem argui posse manifestum evadit. Neque refert, quod ex non Creatore factus sit Creator, quia hoc ipsum relationem duntaxat, vel denominationem externam in Deo significat. Relationes autem hujusmodi aut denominationes externas nullam in subjecto mutationem realem arguere ex Metaphysica constat.

Septimum argumentum ex eodem lib. §. LXXVI. *Motus circularis non habet actu terminos, à quorum altero dicatur incipere, ad alterum verò terminari, sed semper est in principio, medio & fine, ex quo fit, ut motum circularem principio & fine carere necesse sit.* Resp. Motum circularem principio & fine durationis carere dicitur quidem, sed non probatur; Experientia & ratio contrarium docent. Quoties enim globi, aliaque corpora circulariter moventur, ubi tamen principium & finem esse constat. Cometas nonnunquam in Cœlo oriri experientia similiter docet, quos tamen & circulariter moveri incipere & desinere videmus. Nihil ergò hoc argumento concludi posse manifestum est.

Octavum argumentum ex lib. I. de Cœlo §. XX. *Cœlum est ingenerabile & incorruptibile quam quicquid gignitur, ex contrario & subjecto gigni oportet, contrariorum autem corporum contrarii sunt motus, porro motui circulari nullus alius motus contrarius esse potest, quo fit ut Cœlum contrario careat.*

reat, ac proinde ortus & interitus expers sit. Non igitur Mundus esse cœpit. Resp. Cœlum, licet virtute ac potentia naturali generabile non sit, hinc tamen nequaquam evincitur idem virtute Dei infinita creari non potuisse, quod asserimus. Quod ergo dicitur, quicquid gignitur, ex subjecto & contrario gigni oportere, præterquam quod falsum sit, ad rem non facit; siquidem totum Universum nec ex contrariis, nec ex similibus rebus præexistentibus, sed ex nihilo, id est, nulla præexistente materia, conditum esse asserimus.

Novum argumentum ex eodem libro §. XXII. *Omnes gentes faciunt Cœlum locum, sedem, atque domicilium Deorum, quod si locus congruens esse debeat, quæ in ipso sunt, oportet Cœlum sempiternum esse, quemadmodum æterni sunt. Præterea, ex omni temporum memoria, quod quidem monumentis proditum sit, nulla unquam aut in universo ipso Cœlo, aut in aliqua parte ejus facta mutatio dicitur, quæ ipsum corruptioni subjectum esse significet. Quin etiam, suum nomen Cœli ab antiquis impositum hoc quod diximus non obscure indicat, Æthera enim nominare voluerunt, quod ipsum æterno atque irrequieto ambitu circumagi viderent.* Resp. Cœlum supremum Locum & Domicilium Dei rectè dici posse concedimus, quatenus sc. in eo gloriam suam atque majestatem ipse beatis manifestat. At verò ex eo ipsum Cœlum sempiternum esse nequaquam sequitur, quia licet ab æterno creaturæ non fuerunt, illi quibus in iis gloria Dei ostenderetur haud fuit opus. In se autem semper & æternum Deus gloriosus est & ex sese, licet vel cœlum non esset, in quo gloriam suam manifestaret. Quod præterea nulla unquam in cœlo, aut aliqua ejus parte, mutatio facta dicitur, veritati & experientiæ repugnat, siquidem jam pridem varias in cœlo mutationes factas esse a Doctis observatum fuit; Et quamvis observatum non esset, non tamen ex eo nullas in eo esse recte sequeretur, cum propter immensam cœlestium corporum à nobis distantiam mutationes in iis observari nequeant; Quemadmodum nec è Cœlo prospicienti mutationes in terra apparerent. Et quid si omnino Cœlum incorruptibile esset, nihil tamen exinde contra nos posset concludi, ex parte; quia etiam incorruptibilia a Deo creari posse, & in his etiam vel animarum humanarum productio ostendit. Nomen denique Ætheris cœlo impositum esse, ut quibusdam videtur, quod æternum sit, nullius est ponderis, siquidem argumenta ab etymologia desumpta plerumque infirma sunt, & nomina sæpe imposita ab imperitis, quos erroribus obnoxios esse certum est; Quamvis interim, & æternitatem sc. à parte post cœlo concedi, nihil habet absurdi.

L De-

Decimum argumentum ex *Metaph. lib.* XII. §. XXX. *Opifex Mundi ejusmodi est, ut substantia ejus sit actus omni carens potentia; At si non semper operaretur, sed aliquando quidem ageret, aliquando autem ab actione vacaret, interdum esset opifex potentia, interdum actu, quare non esset omninò expers potentiæ. Ab æterno igitur Mundum condidit.* Resp. Quando Philosophi Deum actum purum vocant, non omnem prorsus ab eo potentiam exclusam volunt, sed passivam duntaxat, ut loquuntur. Activa enim potentia ut est perfectio, quam maxime Deo convenit, eaque infinita, unde & omnipotens meritò appellatur. Falsum ergò est Deum omni carere potentia, cum potentia, perfectiva sc. in summo gradu ipsi verè & [illegible] æterno conveniat. Neque tamen inde inferri potest, Deum semper operari aut potentiam suam de facto exercere, cum non tantum potens sit Deus, verum & in operando liberrimus, qui potentiam suam exercere, adeoque & actu operari potest, quando vult. Præterea notandum est, si hoc argumentum valeret, eodem etiam omnium, quæ in tempore à Deo producuntur, creaturarum æternitatem demonstrari, quia, [illegible] quam eas produceret Deus, potentiam eas producendi habuit, adeoque & eadem ratione interdum Opifex potentia, interdum actu dici potest. Sicuti ergò, ex productione hujus vel illius creaturæ in tempore, non sequitur Deum esse mutatum, perinde neque ex productione Universi in tempore ulla vel species mutationis in ipso argui potest. Et ratio illius manifesta, quia ex productione rerum nil nisi externa quædam denominatio productori accedit. Licet ergò Deus ab æterno fuerit omnipotens, & eoque nunquam potentiæ [illegible] expers, Mundum tamen in tempore [illegible] pro sapientissimo suo beneplacito, [illegible], quando ipsi visum, condidit, & cum condidit, duratio ipsius, adeoque & [illegible] tio incepit.

Undecimum argumentum ex eodem lib. §. XXXVIII. *Optima atque perfectissima dispositio Intelligentiarum est movere orbes, & [illegible] enim suam bonitatem, & perfectionem aliis rebus communicant, quod maxime proprium boni, & perfecti; hac etiam ratione erunt [illegible] omnium rerum in genere causæ efficientis & finis. Quare, si Mundus non esset æternus, Intelligentiæ ab æternitate otiosæ ac imperfectæ fuissent.* Resp. [illegible] orbes [illegible], quales Peripatetici somniant, illos [illegible] moveri, & quidem ab Intelligentiis, prorsus aut incertum, aut falsum est; adeoque argumentum hoc est pura petitio principii. Deinde, & hoc falsum, Intelligentias, quas vocant, esse æternas, cum & Angelos, ut & reliquas omnes creaturas, durationis suæ initium habuisse & à Deo conditas, & ratio-

ratione, & S. Literis manifestum fit. Si vero Intelligentiarum nomine etiam Deus comprehendatur, utique ipsum ante conditum Mundum otiosum haudquaquam aut imperfectum fuisse asserimus, quia, se ipsum infinitamque suam & omniperfectam essentiam contemplando, otiosus esse nequeat, nullaque ipsi ab rebus à se conditis perfectio accedere possit.

Duodecimum argumentum ex lib. VIII. Phys. §. XLVIII. & LVI. *Deus & natura semper faciunt ex possibilibus, quod melius est; Melius autem est mundum esse, ac semper esse, quam non semper esse. Est autem hoc possibile, qui enim de novo factus est, potuit ante fieri, & ab æterno fieri, nisi forte potentia Dei variatur suscipiens magis & minus. Porrò, sicut melius est esse, quam non esse, ita melius procul dubio est semper esse, quam non semper esse: Mundũ igitur semper fuisse & semper fore melius est, quam non semper fuisse. Ergo Deus ab æterno Mundum fecit.* Resp. Melius esse aliquid dicitur vel ratione Creatoris, vel ratione creaturæ. Si ergo bonum aut melius quippiam esse dicatur ratione Dei Creatoris, dico illud simpliciter bonum aut melius dicendum esse, quod ex sapientissimo ipsius judicio & beneplacito tale est, adeoque nego bonum aut melius dici posse, si Mundus vel ante, vel post vel aliter conditus fuisset, quam nunc à Deo conditus est. Deinde, impossibile est Mundum ab æterno existere, quia ad productionem creaturæ requiritur, ut nihil ipsius esse antecedat, quod æternitati repugnat. Neque ex productione temporali ulla potentiæ Dei variatio aut mutatio colligi potest; quemadmodum neque ex aliarum creaturarum in tempore productione ulla vel mutationis umbra evincitur, ut etiam suprà notatum est. Et, sive Deus potentiam suam exerat; sive non, æqualiter tamen potens, id est, omnipotens manet, idque ab æterno in æternum immutabiliter. Quinimo nec in creaturis quidem ex operis alicujus productione, quispiam arguerit operantis potentiam propterea variari, magisve aut minus suscipere. Et si vel nunquam Mundum produxisset Deus, nihilominus infinita ipsius fuisset potentia; nisi enim ante productionem fuisset infinita, nunquam Mundum potuisset creare. Præterea, si melius quippiam esse dicatur ratione ipsius creaturæ, si ex eo, quia melius est esse, quam non esse, sequeretur Mundum esse æternum, utique & omnium rerum æternitas eodem argumento evinci posset, quod tamen absurdum & apertè falsum; quia similiter de singulis dici posset, melius est esse, quam non esse, & semper esse, quam non semper esse. Quin imo, quia perfectissimum esse melius est, quam imperfectum esse, sequeretur Mundum à Deo conditum non tantùm æternum, sed & per-

 fectis-

fectiſſimum eſſe, quod ſimiliter falſum eſt. Bonitas creaturæ, adeoque & Mundi non abſoluta eſt, aut infinita, ſed limitata ex arbitrio Dei; adeoque non ſequitur, hoc vel illud bonum aut melius eſt, ergò Mundo, vel rebus creatis convenit; ſiquidem major creaturæ non debetur bonitas, quam ipſi à Creatore eſt conceſſa. Denique & hoc notandum, ad bonitatem Creaturæ non pertinere, ut hoc vel illo tempore ſit, ſicuti neque hæc vel illa creatura nunc exiſtens, propterea eſſet vel fuiſſet melior aut perfectior, ſi ante centum vel plures annos extitiſſet; ità quoque non ſequitur, quod melior Mundus fuiſſet, licet ante, vel in priori τῶ νῦν, æternitatis, vel etiam poſt à Deo fuiſſet creatus. Et hæc ad Ariſtotelis argumenta dicta ſufficiant.

Sequuntur Argumenta Procli, cujus cum de æternitate Mundi ſcripta interierint, eadem deprompta, ex eo opere, quod de hoc negotio contra Proclum ſcripſit Philoponus, proponemus. Sunt autem ea numero xx. Quorum primum eſt tale: *Si Mundus ortum habet, cur non ante factus fuit, quam nos aſſerimus eſſe conditum? Præſertim cum Deo tribuamus infinitam facultatem, & affirmamus Mundum multò ante potuiſſe condi.* Reſp. Ad hoc argumentum jam ſuprà reſponſum vide ad quintum Ariſtotelis; Cum enim Deus ſit agens liberrimum, utique quod Mundus in eo, quo conditus eſt, æternitatis τῶ νῦν id eſt, in principio temporis conditus ſit, & non ante aut poſt; item, quod habeat hanc quantitatem & figuram determinatam non majorem aut minorem, has partes, hunc ordinem, ſitum aliaque; hæc, inquã omnia ex mero ipſius beneplacito dependent. Poſſetque eadem non tantum de ſingulis creaturis proponi quæſtio, verum etiam quocunque demum æternitatis in momento conditus Mundus fuiſſet. In hoc ergò beneplacito Dei nobis eſt acquieſcendum, & quamvis illius ratio intellectu noſtro finito ſit imperſcrutabilis, Deo tamen ſapientiſſimo eam non defuiſſe haud eſt dubium.

Secundum argumentum Procli: *De natura boni eſt, ſe ipſum cum aliis communicare, ſuamque bonitatem aliis rebus, quantum fieri poteſt, impertiri, & id maximè ſummo bono, qui Deus eſt. At ſi Mundus non ſit ab æterno, per æternum, ut ità dicam, tempus, Deus nihil egit; & ſuam bonitatem non communicavit. Quæro, aut potuit ab æterno Mundum creare, aut non: ſi potuit, aut voluit etiam, quare fecit, quid enim ei obſtare potuit? Si noluit, ergò non eſt ſummè bonus, & invidia tangitur, id quod impium eſt cogitare, nedum loqui, aut ſentire. Sin autem voluit, ſed non potuit, ergò eſt finitæ vi, & circumſcripta facultate præditus, & inæquabilis, & non ſimpliciſſimus, quando in eo non eſt eadem ac par voluntas & virtus atque potentia.* Reſp. Quando bo-

num

num, adeoque & Deum, qui summè bonus est, & summum bonum, sui communicativum esse dicimus, sensus non est, quod propriam suam bonitatem rebus creatis communicet, (hoc enim impossibile est, essentque creaturæ infinitæ & omniperfectæ,) sed, quod ex bonitatis suæ fonte bonitatem aliquam pro arbitrio suo determinatam atque limitatam creaturis singulis communicet, nempe eo tempore, modo, gradu, quibus ipsi visum fuit. Concedo igitur, quod Deus ab æterno extra se bonitatem creaturis non communicaverit. At inde non sequitur ipsum ab æterno nihil egisse, siquidem, ut jam suprà ad Argumentum Aristotelis undecimum responsum est, otiosus esse non potuit, qui ab æterno in infinitæ atque pulcherrimæ suæ essentiæ contemplatione & amore fuit occupatus. Quæstio autem illa, (*aut potuit ab æterno Mundum creare, aut non*) ambigua est. Si enim sensus sit, utrum Deus ab æterno habuerit potentiam creandi, responsio est affirmativa, quia potentia Dei infinita est & æterna. Si verò sensus sit, utrum Deus potuerit ab æterno creare Mundum æternum, seu, qui ab æterno existeret, responsio est negativa, ità ut æternitas non denegetur potentiæ creandi, sed Mundo creando; quia in quocunque æternitatis suæ momento Deus Mundum creasset, semper in principio sui esse conditus fuisset, adeoque nunquam potuisset esse æternus. Potuit ergò Deus ab æterno, id est, ab æterno in ipso fuit potentia creandi, seu virtus creatrix, imò & voluntas creandi Mundum, nempe qui esset & inciperet in tempore, adeoque qui æternus non esset, nec esse potuerit, quia, cum conderetur, necessariò suę durationis initium habere debuit.

Argumentum Procli III. *Aliqui effectus sunt simul cum suis causis efficientibus, neque priores, neque posteriores ipsis: Ex. gr. corpora opaca, quæ sunt in lumine, sunt simul cum ea umbra, cujus causa sunt: Sol etiam efficit lumen, cum quo tamen simul est, neque antecedens ipsum, neque subsequens. Ergò Mundus, etsi à Deo sit conditus, nihilominus potest tamen esse coæternus ei. Neque pugnant hæc inter se, ut effectus sit tempore simul cum sua causa efficiente.* Resp. Aliquos effectus esse simul cum suis causis, neque priores, neque posteriores ipsis, concedo de causis, ut vocant, emanativis; Nego autem de causis activis, & quidem iis imprimis quæ agunt ex libero mentis arbitrio; adeoque exempla de umbra vel speciebus corporum opacorum, aut lumine Solis vel corporis cujuscumque luminosi, ad rem non faciunt; cum corpus sit causa emanativa umbræ, & Sol luminis in corpore opaco producti: Deus enim est causa activa & agens liberrimum, cujusmodi causæ necessariò semper effectis suis priores sunt; Qui enim

operatur ex libero arbitrio, priuſquam operatur, deliberet neceſſe eſt. Deinde peccat hoc argumentum ignoratione Elenchi; Neque enim concludit Mundum eſſe ab æterno conditum, ſed potuiſſe condi, quod, quamvis ex dictis falſum eſſe pateat, jam tamen non diſputatur.

Argumentum Procli IV. *Eſt æterna idea Mundi, ad quam Deus reſpiciens, Mundum fabricatus eſt; Ideæ autem eſſentia in eo conſiſtit, quod eſt, exemplar eſſe alterius, quod eſt imago ejus. Exemplar autem & imago, cum ſint ex numero eorum, quæ cum alio conferuntur, ſimul ſunt, neque unum ſine altero conſtare poteſt. Ex his neceſſariò conſequens eſt, quandoquidem idea & exemplar Mundi æternum eſt, Mundus itidem, qui eſt imago ejus, ſit æternus. Alias neceſſarium eſt, aut exemplar non eſſe æternum, ſi imago ejus non ſit, aut eſſe exemplar ſine imagine, aut Mundi exemplar nullum eſſe, quorum omnium nihil eſt, quod cum veritate ac recta ratione non pugnet.* Reſp. In perfectiſſima & infinita eſſentia divina ab æterno omnium rerum fuiſſe ideas, adeoque & Univerſi, omniumque illius partium, certiſſimum puto. Et, quemadmodum architectus juxta ideam phantaſiæ ſuę impreſſam domum extruit, ità quoque Univerſi Architectum Deum Mundum, omniaque in eo, & juxta ideam ſuam ſingula, condidiſſe concedo. Verum enim verò ſicuti domus non exiſtit ſimul cum illius in mente artificis idea quippe qui eam pro ſuo arbitrio extruit, quando vult; ità quoque haud rectè, ex æterna in mente Dei idea, æterna Mundi exiſtentia aut creatio colligitur, cum Deus non minus liberè Mundum, quam Architectus domum, confecerit. Prætereà, cum non Univerſi tantum, verum & ſingularum creaturarum ideæ ab æterno in mente divina fuerint, utique ſi æternitas Univerſi, ſimul & ſingularum creaturarum inde æternitas pari ſequela evinceretur, quod tamen abſurdum & falſum eſſe nimis eſt manifeſtum.

Argumentum Procli V. *Cauſa efficiens aut ſemper eſt actu, aut aliquando eſt poteſtate tantum, & ſiquidem actu ſemper ſit, effectus etiam ſemper erit, cauſa enim ſi actu fuerit, effectus actu erit, & ſi illa potentia, hic quoque potentia. Prætereà, id quod eſt potentia, reducitur ad actum, ab eo quod eſt actu, ut calidum potentia, à calido actu: ſimiliter opifex potentia evadet opifex actu, ab eo qui jam eſt actu opifex. Opifex igitur Mundi, vel ſemper fuit actu efficiens Mundum, & ſic Mundum item ſemper fuiſſe neceſſe eſt: Vel aliquando fuit in potentia efficiens, ergò ab alio efficiente qui actu fuit, reductus eſt ad actum; ſed quæro de hoc, an ſemper reducebat illum ad actum, & ſic ſic ſemper actu fuiſſet opifex, id quod repugnat poſitioni: vel non ſemper reducebat, ſed poterat tantum reducere, ergo erat aliud à quo ex tali potentia ad talem actum trahe-*

betetur, & similis quæstio de hôc fiet, & de alio item atque alio, aut igitur erit progressus in infinitum in efficientibus, quod manifestè falsum, atque adeò impossibile est, aut necessario fatendum erit, Opificem Mundo semper actu efficientem fuisse, & proinde Mundum semper extitisse. Quare Mundus æternus est. Resp. Responsio ad hoc argumentum sufficienter patet ex dictis; Deus enim, cum æternus sit, semper & ab æterno actu potens extiterit necesse est. Si verò Causam actu appelles, quandò actu operatur, dico Deum actu causam, id est, creatorem factum esse in principio temporis, quando sc. Mundum creavit, idque a se & ex propria sua voluntate; id est, condidit Mundum, quandò voluit condere, adeòque alia, quæ ipsum ad actum reduceret, causa ipsi opus non fuit, cum ipse sit prima & suprema omnium extra se creaturarum causa & Opifex. Similiter Pictor, qui potentiam habet vel artem pingendi, vel architectus; qui arte & potentia ædificandi præditus est, non indiget alio, cujus ope aut motu ad actum pingendi aut ædificandi reducatur, quia, quando ipsi pingere aut ædificare lubet, potest, ut notum. Falsum ergò est, quod argumento concluditur, Opificem Mundi semper actu efficientem fuisse, Mundumque semper extitisse, aut æternum esse, quia in tempore demum Mundum creare Deus voluit, ut dictum.

Argumentum Procli VI. *Deus author est Mundi omninò immutabilis; Ergò vel ab æterno Mundum fecit, vel nunquam fecit: Nam si quando non fuit factus mundus & aliquando fuit factus, ergò Deus ex non faciente ad faciendum mutatus est, quare Deus mutatus est. Et cum omnis mutatio sit imperfecta quædam actio tempore indigens, & ad perfectionem aliquam acquirendam tendens: tempore inquam indigens, utpote sine quo nullus motus perfici queat, erit Deus imperfectus aliquo indigens. Quamobrem, qui æternitatem Mundi negant, etsi cupiunt esse pii erga Deum, sunt tamen (ut ex iis, quæ jam diximus perspicuum est) erga ipsum valde impii. Possumus igitur breviter concludere totam rationem ad hunc modum: Si Deus prius non faciebat Mundum, & postea fecit, ergò mutatur, si mutatur, ergò movetur: quoniam omnis mutatio, vel est motus, vel non fit sine motu: si movetur, ergo est imperfectus. Quod enim dealbatur non est perfectè album: Si etiam movetur, indiget tempore, quoniam motus necessario fit in tempore. Quæ, si absurda sunt, & omnia tamen pendent ex illo, quod Deus ex non faciendo ad faciendum migraverit, certè illud falsum erit, quare ab æterno Deus Mundum fecit.* Resp. Solutio hujus argumenti patet ex iis, quæ supra ad sextum & duodecimum argumentum Aristotelis dicta sunt; siquidem ex creatione aut productione Mundi nulla in Creatore mutatio vel mutabilitas evinci potest, cum inde nova

dun-

duntaxat denominatio externa in ipſo oriatur, quæ internam mutationem nequaquam arguit. Et reverà ſi productio operis externi aliquam in Deo mutationem argueret, jam non ſolum Deum creando Mundum mutatum eſſe ſequitur; verum & ſimilis mutatio ex ſingulis illius operibus, quæ in tempore ab ipſo peraguntur, concludi poſſet. Quin imò ſi vel Mundum ab æterno conditum concederemus, ipſum quoque ab æterno mutatum eſſe ſequeretur. Cum ergò ipſe Proclus Deum immutabilem omninò fateatur, utique vel Mundum ne ab æterno quidem à Deo conditum ab ipſo ſtatuendum erit, vel ex temporali illius creatione ipſum mutatum haud quaquam eſſe deducere poteſt. Si enim creatio in tempore, mutationem in tempore, arguat, pari ratione creatio æterna mutationem æternam demonſtrabit.

Argumentum Procli VII. *Si Mundus conditus eſt, & peribit, neceſſe eſt tempus, quod unà cum Mundo neceſſariò cohæret, ortum quoque interitumque habere: quare aliquandò non fuit tempus, & aliquando non erit tempus. Sed* (aliquando) *certum quoddam tempus ſignificat, ergò fuit tempus, & erit aliquod tempus, quando nullum tempus erit: quæ cum ſint inter ſe pugnantia, neceſſarium eſt Mundum ab æterno fuiſſe.* Reſp. Hoc argumentum convenit cum tertio Ariſtotelis, ad quod ſuprà reſponſum eſt. Si enim tempus ſumatur pro duratione Mundi, certum eſt ut Mundi, ità & temporis fuiſſe initium. Cum ergò tempus aliquandò non fuiſſe dicimus, nihil aliud volumus, quam tempus noſtrum habuiſſe ſuum initium, ante quod non erat. Adeoque particula *Aliquandò* non neceſſariò temporis differentiam aut tempus ſignificat, (ſic enim ſenſus foret in aliquo tempore non fuiſſe tempus, quod abſurdum) ſed æternitatis quaſi particulam ſive τὸ νῦν (vocabula enim hic nobis deſunt) cui nec tempus nec Mundus coextiterint. Æternitas enim à nobis tanquam infinita ſeu ab æterno in æternum extenſa duratio, quæ principio careat & fine, concipitur; tempus verò eſt duratio habens principium & finem, adeoque duratio temporis durationi æternitatis coæqualis eſſe nequit, quia æternitas eam in infinitum antecedit & ſequitur.

Argumentum Procli VIII. *Mundus diſſolvi non poteſt, ergò neque unquam factus eſt. Patet conſequentia, nam ſi quod generatum eſt, aliquando interibit, ergò ex oppoſito conſequentis, quod interire nequit, ut eſt apud Platonem in Phædro, nunquam generatum fuit. Antecedens probatur, Nam Mundus à ſolo Deo, qui fecit ipſum, diſſolvi poteſt: is enim rationem ſolvendi nodum tenet, qui fecit nodum: atqui Deus nunquam diſſolvet, nam quod benè & cum ratione colligatum & copulatum eſt, velle diſſolvere, improbi eſt: vel [illegible]tur Mundus*

non

non fuit benè compactus à Deo, quare in eo faciendo bonus artifex non extitit: vel si benè factus est, improbi erit ipsum velle dissolvere. Quare cùm nefas sit opinari Deum vel in faciendo Mundo non optimum fuisse artificem vel in eo dissolvendo improbum evadere, planum est Mundum dissolvi non posse. Resp. Sicuti ex libero Dei arbitrio Mundus est conditus & compositus, ità quoque ejusdem arbitrio ipsum dissolvi posse certum est. An verò de facto unquam Mundus dissolvendus sit vel interiturus, alia quæstio est. Nos rationem hactenus nullam pro affirmativa videmus, adeoque probabilior nobis eorum videtur sententia, qui Mundum nunquam interiturum existimant. Quod tamen non obstat, quò minus ut creatio, ità & ejusdem partiumque ejus actualis conservatio, liberrimo ipsius arbitrio & bonitati attribuatur. Haud igitur malè aut improbè ageret Deus, si hanc Universi Machinam dissolveret, quia eam conservare semper nulla lege tenetur. Præterea, cum ipsemet fateatur Proclus, à solo Deo, qui fecit Mundum, ipsum dissolvi posse, quid hoc sibi velit argumento, equidem non video; Neque enim nos virtute aut potentia naturali dissolvi posse ipsum asserimus, ut patet. Si enim à Deo dissolvi potest Mundus, ut Proclus fatetur, utique ab ipso in tempore potuit componi. Non ergò hinc æternitatem ejus demonstrari posse planum est.

Argumentum Procli IX. *Universi anima ortu caret & interitu; Ergo Mundus quoque ortu & interitu vacare debet. Consequentia patet, quia non potest animal interire, aut non esse, cum anima ejus semper adsit. Antecedens probatur, quoniam anima Mundi à se ipsa movetur, Quare Plato in Phædro ait, animam nunquam natam aut caducam esse.* Resp. Animam dari Universi falsum est; Et si omninò eam dari concederetur, nulla tamen foret conclusio, quia eadem cum Universo initium suum accepisset. Quemadmodum etiam animas hominum, licet sint immortales, non tamen antè corporum formationem à Deo creari alibi probatum est.

Argumentum Procli X. *Mundus non potest interire, ergò nunquam fuit ortus. Prob. conseq. Nam si quod ingenitum est, non potest interire; ergò quod potest interire, non est ingenitum, & quod genitum potest interire. Nam quod non fuit, & potuit esse, cum est, poterit etiam non esse. Præterea, quidquid fit, ex contrario fit, in quod rursus interire potest. Quod si ex privatione interdum fit commigratio in habitum, ut è tenebris in lucem, & ex quiete ad motum, multò magis ex habitu poterit fieri commigratio in privationem. Quare si Mundus ex inordinato aliquandò generatus fuit ordinatus, quæ est commigratio ex privatione in habitum, multò magis nunc ex ordinato poterit fieri inordinatus quæ est commigratio ex habitu in privationem. Quod si hoc absurdum est, absur-*

surdum item erit, facere Mundum aliquando ortum fuisse. Antecedens autem probatur: Quicquid interit ab aliquo extrinsecus occurrente interit, & in aliquid alienum à se: Cum igitur extra Universum nihil sit, nec quicquam ab eo alienum existat, sed (ut est apud Platonem) omnia complexu suo continens, totum ex totis, perfectum ex perfectis constet; Mundus igitur interire non potest, quare neque unquam ortus est. Resp. Licet Mundum virtute naturali dissolvi non posse, neque unquam à Deo dissolutum iri, concedamus, consequentia tamen falsa est, ut satis superque patet ex iis, quæ suprà ad Argumentum octavum à nobis dicta sunt. Cæterum varia hoc argumento partim incerta; partim falsa dicuntur, quæ cum ad præsens negotium nihil faciant, non est quod iis refutandis immoremur.

Argumentum Procli XI. *Quicquid interit, id suo ipsius vitio interire solet: At Mundus nullius vitii capax est, ergò non potest interire. Major patet, nam quod interit, neque bono suo interit, neque eo, quod neque bonum neque malum sit, sed medium, quod enim est hujusmodi, id neque lædere, neque juvare potest. Unde fit, ut neque perimere neque servare valeat. Minor apud Platonem perspicua est, ipse enim ait Mundum beatum esse Deum, sicut & Deos omnes: & propterea Deorum genus universum, cum vitii non sit capax, nullam sentire posse immutationem. Non igitur unquam interibit Universum, cum in eo nihil sit vitii. Quod si interire nequit, nunquam ortum est, alioquin ex nihilo factum esset, nullam autem rem ex nihilo fieri posse certum est.* Resp. Etsi nihil intrinsecus, nisi suo ipsius vitio corrumpi physicè concedamus, haud tamen ex eo inferre liceret, id ipsum ne quidem extrinsecus seu virtute supernaturali Dei corrumpi aut annihilari posse. Deinde quamvis Mundum nunquam prorsus corruptum iri libenter credamus, ut suprà dictum est, inde tamen ipsum ne à Deo quidem dissolvi posse rectè deduxeris. Quod autem ad minoris probationem citatur ex Platone, quod Mundum Deum esse dixit, ad rem non facit; siquidem, non quod Plato dixerit, sed quod ratio suadeat, in Philosophia admittimus. Ecquis autem sanæ mentis Mundum Deum esse existimet? Falsum ergò & illud, quod ex eo deducitur in argumento, Mundum nunquam ortum esse; quemadmodum & illud, quod in fine additur, nullam rem ex nihilo fieri posse, cum omnino ex nihilo à Deo facta esse, & ratio & fides doceant. Quinimò, quæcumque fiunt, quatenus fiunt, ex nihilo fieri alibi à nobis probatum est; siquidem id quod est, omninò fieri non potest, adeoque quodcunque fit, ex eo, quod non est, fieri necesse est.

Argumentum Procli XII. *Universi elementa, vel manent in suis locis naturalibus, quod ipsis est secundum naturam: vel circulo moventur, & neque prin-*

principium, neque finem habent movendi. Si igitur Universi elementa in suis sunt locis, neque ullum in alienum locum totum contendit, necesse est Universum expers esse mutationis: tum omnia, eaque tota id obtineant, quod ipsis est secundum naturam, tum quæ in eodem manent, tum quæ moventur.

Resp. Quam nobis de Elementis tradunt doctrinam Peripatetici partim incertam partim falsam esse alibi à nobis ostensum est. Et, quæ vulgò sic vocantur, sive maneant in suis quæque locis naturalibus, sive circulariter moveantur, sive sursum, sive deorsum, ad rem non facit. Quicunque enim iis motus convenit naturalis, à naturæ Authore ipsis est inditus, adeoque principium habuit, quemadmodum & ipsa elementa, ubicunque tandem inveniantur. Deindè hoc argumentum peccat ignoratione Elenchi, licet enim omninò Universum mutationis expers esset, eo sc. sensu, ut nunquam totaliter sit corrumpendum; non tamen sequitur ipsum esse æternum aut ab æterno conditum, quod erat demonstrandum.

Argumentum Procli. XIII. *Materia prima est procreationis & incertus expers, alioquin alterius materiæ indigeret. Illud autem cujus gratia materia est, est ipsa procreatio, & materia refertur ad formam, relativa autem simul sunt: relinquitur igitur, ut si materia æterna est, procreatio quoque, cujus gratia illa est, æterna sit, & sint formæ in ipsa ex æternitate.* Resp. Materia prima, ut vocant, quamvis ratione virtutis naturalis ingenerabilis sit, eam tamen creabilem non esse, aut æternam negamus; siquidem eam ex nihilo potentiâ Dei conditam esse in temporis principio asserimus. Vide responsionem ad primum Argumentum Aristotelis.

Argumentum Procli XIV. *Quicquid gignitur materia eget & efficiente: Quod si id non semper est, id fit aut propter efficiens, quod non semper idoneum est ad efficiendum, aut propter materiam, quæ non est semper habilis, aut certè propter utrumque: Quare si mundus aliquandò non fuit, id accidit ei, vel propter materiam, vel propter ipsius Mundi effectorem. At Deus Mundi Opifex, semper ad efficiendum Mundum, est satis idoneus: cum ipse idem semper permaneat, nec ullo modo immutetur, nam si nunc est idoneus, & ex æternitate fuit; Et si ex æternitate non fuit, nec nunc quidem est idoneus. Materia verò similiter semper fuit habilis ad procreationem Mundi, cum sit incommutabilis & semper eadem permanens. Cum igitur, quod Mundus aliquandò non fuerit, nec materiæ, nec efficienti, adscribi possit, pro falso habendum est.* Resp. quamvis virtute naturali nullum compositum ex nihilo, sed ex suis partibus sive principiis præexistentibus generetur; virtute tamen divina omnia in principio ex nihilo facta esse jam sæpius repetitum est. Dico igitur

materiam primam, ex qua posteà omnia corpora naturalia generanda essent, in principio ex nihilo esse factam. Et reverà, cum spiritus & animæ hominum sive Mentes immortales etiamnum ex nihilo creentur à Deo, quæ ratio, ob quam non idem de materia prima cogitemus? Si enim ejus immateriale ex nihilo fieri possit, quare non materiale? Quod autem Mundum aliquando non fuisse statuamus, non materiæ aut efficienti adscribimus, sed ipsi Mundo, cui æternitas repugnat, cum impossibile sit, creaturam ex nihilo productam Opifici suo esse coætarnam, & *nihil* necessariò τὸ *esse* creaturæ antecedat.

Argumentum Procli xv. *Partes mundi, nempe Cœlum & quatuor elementa, sunt æterna: Ergò etiam Mundus, neque enim totum ignobilius est suis partibus, cum sint id cujus gratia partes sunt, & non è contrario. Cœlum autem Platoni sempiternum esse placuit, quod vel motus ejus, qui fit in orbem aperte declarat: Nam ortus & interitus ineſt in iis quæ habent contrarium. Prætereà, unum uni tantum propriè est contrarium, ut à Platone explicatum est in Protagora: Cum igitur Cœlum contrario careat, (nam si cœlo aliquid contrarium esset, motui quoque ejus alius motus contrarius inveniretur, at quis inesse potest? Cum enim tres sint motus simplices, circularis, & rectus, qui duplex est, unus qui sursum fit, alter qui deorsum: quis erit horum circulari contrarius? Non is qui sursum fit, nam oponitur ei qui fit deorsum, nec is qui fit deorsum, adversatur enim ei qui sursum, & jam positum erat unum uni tantum contrarium esse) relinquitur neque motui cœlesti, neque ipsi cœlo quidpiam esse contrarium. Quare corpus erit diversum ab iis, quæ ortum habent & interitum, ut sunt quatuor elementa, & quæ ex ipsis fiunt. Porrò, ipsa elementa, licet secundum partes suas gignantur, & intereant, nihilominus tamen semper suum statum naturalem retinent in suis locis remanentia. Mixta verò, non partes Mundi, sed potius effecta dici debent, ad quæ procreanda, dii, ut est apud Platonem, ex integritate elementorum partes mutuantur, quas iterum restituant illis: Quod dictum est propter resolutionem mixti in elementa, ex quibus conflatum erat. Ex iis igitur, & vere & convenienter Platonicis decretis, atque principiis, demonstratum est, Mundum sempiternum esse.* Resp. Totum hoc Universum, Mundum, Cœlum, ejusque motum, qualiscunque ipsi attribuatur, & elementa, quæcunque tandem & illa fuerint, principium ut essendi ità & durationis suæ à Deo accepisse, jam sæpius dictum est. Neque refert, quid ex decretis sive principiis Platonicis concludi posse videatur, siquidem non authoritatibus gentilium, sed solis rationibus hic agendum.

Argumentum Pocli xvi. *Materia sempiterna est, & per se habilis ad suscipiendas formas, vel igitur formæ in ea extiterunt, & semper erunt, & sic Mun-*

Mundus principio & fine carebit: vel non semper fuerunt, aut erunt, quod est absurdum: Quomodò enim materia ex aeternitate formis caruit, ad quas suscipiendas semper fuit habilis? Sed fortè dices, materiam ab aeterno habuisse formas vagas, imperfectas, & inordinatas, postea verò productas fuisse formas perfectas. Verum id dici nequit, Cum enim materia per se, ac semper habilis sit ad suscipiendas formas perfectas, nulla potest reddi, causa, cur non ab aeterno illas habuerit. Deinde, quid opus fuit prius habere formas imperfectas, ut deinde perfectas habere posset? Quod autem Plato materiam prius immoderate ac inordinate motam fuisse dicit, id non ità accipiendum est, ut prius fuerit inordinata, deinde ordinata, sed cogitare debemus, cum illis verbis exprimere voluisse, qualisnam materia ex se & suapte natura esset, nisi ab Opifice Mundi distincta, & exornata fuisset. Resp. Itidem patet responsio ex dictis quia materiam, vel quicquid rerum extra Deum fingatur, æternam esse aut esse posse constanter negamus. Cæterum de vanitate formarum, quales vel Peripatetici vel Platonici a materia susceptibiles esse vel suscipi somniant, alibi à nobis actum est.

Argumentum Procli XVII. *Exemplar Mundi Plato dicit esse unigenitum sempiternum, & numeris omnibus absolutum: Cum igitur Deus Mundum fecerit huic exemplo simillimum, quemadmodum facit Mundū unum & absolutum, sic etiam sempiternum fecisse credendum est. Imago enim, ut perfecta sit, debet omninò similis esse exemplari. Si igitur Mundus ortum & interitum habet, nulla ex parte similis erit exemplari: Sin autem, vel careat interitu habens ortum, vel careat ortu habens interitum, non utraque ex parte, sed ex altera tantum, exemplari similis erit.* Resp. Hoc argumentum haud differt à quarto, ad quod supra responsum. Neque profectò imaginis natura requirit, ut eandem cum suo exemplari habeat durationem, aut etiam omnimodam & absolutam similitudinem; Sic enim nulla res creata exemplari suo sive ideæ similis esset. Idea enim divina sive exemplar, ad quod Deus Mundum condidisse perhibetur, non tantum æternum est, verum & incorruptibile, & immateriale, & simplicissimum atque indivisibile, quæ omnia in creaturis nusquam reperias. Ad naturam ergò imaginis aliqua duntaxat cum suo exemplari similitudo sufficit, id est, ut talis sit, qualem eam Deus esse voluit, atque ab æterno decrevit.

Argumentum Procli XVIII. *Si in Deo duæ sunt Voluntates, una, ut non sit aliquid inordinatum, quod Plato indicat illis verbis (cum enim constituisset Deus nihil mali admiscere, ex inordinato ipsum adduxit in ordinem. Altera, ut Universum benè colligatum conservetur, quam innuit Plato illa oratione (nam cum voluntatem & consilium meum nacti sitis, quod majus est vinculum ad per-*

petuitatem vestram, quam illa quibus estis tum, cum gignebamini, colligat &c.) necesse igitur est has voluntates aut semper esse in Deo, aut interdum utramque, unam prius, alteram posterius: At interdum esse, interdum autem non esse, non convenit ei, qui semper est, & immutabilis semper perseverat: Et prius, ac posterius in iis tantum insunt, quæ tempori subjecta sunt: Quod si utraque voluntas, semper quod vult efficit, semper igitur, & inordinatum obliteratur propter perpetuam voluntatem, ut ipsum non sit, & ordinatum conservatur propter voluntatem ut ipsum sit perpetuum, cum utraque voluntas sit semper. Quare si sit utrumque semper, non prius erit inordinatum quam ordinatum, nec ordinatum, quam inordinatum. Quod si id, quod ordinatum est, principio & fine caret, Mundus autem nihil aliud est quam ordo, & id quod adductum est in ordinem: Mundus igitur ortus & interitus expers erit. Resp. Voluntas Dei tantum unica est, non duplex, eaque Mundum ordinatum condere ab æterno decrevit; at verò inde non sequitur Mundum ordinatum aut conditum æternum esse. Volitio quidem creandi æterna est, res verò volita aut creata, nec est æterna, nec æternitatis capax; sed per actualem in tempore creationem demum esse incepit. Quemadmodum etiam omnium eorum, quæ indies oriuntur & intereunt, volitio Dei æterna est, unde tamen nemo eadem æternum esse concluserit, ut per se evidens.

Argumentum Procli XIX. *Quicquid natum est, aliquando interibit; omne quod caret ortu, caret etiam interitu: Quæ duo pronuntiata non modo sunt Aristotelis in primo de Cœlo, verum etiam Platonis, qui horum alterum in libris de Rep. alterum in Phædro pronuntiat: Verum, id omne quod natum est, manet interitus, inquit Socrates, Musarum personam referens; & quod generatum non est, interitu carere est necesse. Ex quibus pronuntiatis alia duo deducuntur. Unum est, quicquid interire potest, id generatum esse; nam si non esset generatum, careret interitu, per secundum pronuntiatum. Alterum est, quicquid non potest interire, id non esse generatum: Nam si generatum esset, ut in primo dictum est pronuntiato, aliquando interiret; Cum igitur Mundus interire nequeat, bonus enim fuit Opifex ipsius, improbi autem esse videtur, quod benè compactum, fuit velle dissolvere, & immortalium, inquit Plato, ipse est Opifex: Quod autem immortale est, hoc non cognoscit casum, seu interitum, ut in Phædone dicitur, haud enim temerè quidquam aliud esset expers interitus, si quid immortale esset, non esset hujusmodi. Cum igitur Mundus interitu careat carebit etiam ortu, per secundum pronuntiatum.* Resp. Nihil hoc argumento contineri, ad quod non suprà ad Octavum responsum sit. Quanquam enim Mundus natura sua totus interire nequeat, sicut & Angeli aut Spiritus immortales, mentesque humanæ natura sua incorruptibiles sunt

con-

conditi, idipsum tamen eosdem ab æterno conditos fuisse nequaquam arguit. Falsum ergò est illud enuntiatum absolutè, quicquid non potest interire, id non est productum. Nam si id verum esset, utique Mundum ne quidem ab æterno productum esse sequeretur, quod tamen ipse Proclus affirmat; quippe qui Mundum ab æterno à Deo factum doceat, quamvis nonnunquam eundem ortu & interitu carere, ut in hoc argumento & alibi sæpius, asserere videatur. Quod si ergò illud enuntiatum procederet, quicquid non potest interire, id non est genitum seu productum; utique, concesso Mundum in æternum interire non posse, ut vult Proclus, consequenter & illi dicendum erit, Mundum quoque ne quidem ab æterno esse conditum, adeoque esse Ens independens, quod tamen ipsius sententiæ repugnat, & aperte falsum est.

Argum. Procli xx. & ultimum: *Plato in Politico ait, res divinissimas semper in eodem statu permanere, similiter affectus & prorsus immutabiles. Cum igitur Opifex Mundi sit quidpiam divinissimum omnium semper idem, & similiter affectus erit. Quare alienum est ab ipso, interdum facere, & interdum non facere, sed convenit illi, vel semper facere, vel nunquam facere. At nunquam facere, in eum qui est Opifex omnium rerum cadere nequaquam potest: relinquitur igitur; ut Deus semper Mundum faciat, ac proinde Mundus sempiternus sit. Prætereà, Deus (ut in Timæo legitur) Mundum condidit divini exemplaris perfectissimam imaginem; cum igitur exemplar omnino sempiternum sit, necesse est Mundum, siquidem est imago ipsius, ambifariam sempiternum esse. Adhæc, Plato Mundum Deum vocat, Deorum autem genus & mutationis & vitii expers est; quare Mundus ortu & interitu carebit.* Resp. Similiter nihil hoc argumento adferri, quod non abundè in superioribus refutatum est. Deum Ens esse perfectissimum, ipsumque semper & immutabiliter eundem manere, absque ulla vel mutationis umbra libenter concedimus; at verò exinde sequi negamus, ipsum aut unquam aut semper debere actu extra se operari aut Mundum producere. Nam inde quoque sequeretur, Deum etiamnum creare Mundum, & nunquam Mundum creatum dici posse. Prætereà, si externa operatio aliquam in Deo mutationē argueret, utique cum singulis ferè momentis aliquid novi à Deo producatur, singulis quoque momentis Deum mutatum ire conficeretur. Ad id porrò, quod de sempiternitate Mundi colligitur ex sempiternitate divini exemplaris, jam quoque suprà dictum est, consequentiam esse nullam, quia natura imaginis non requirit æqualem cum suo exemplari durationem, sed aliquam cum eo duntaxat similitudinem. Quod denique additur, Mundum Deum à Platone appellari, ad rem non facit, quia, non quid Plato

Plato dixerit, sed quod rationi consentaneum est, pro veritate amplectendum. Quamvis nec hoc ullo modo sit verisimile, Platonem usque adeò à veritate aberrasse, aut desipuisse, ut Mundum Deum esse putaverit; ità ut vel impropriè vel ex fabulosa Poëtarum quorundam consuetudine sic loquutum ipsum fuisset credendum sit. Et reverà, cum, ut in argumento dicitur, ipse Plato in Timæo, Deum Mundum condidisse divini exemplaris perfectissimam imaginem, statuat; Et alibi, omnes res ab uno Deo conditas, & suapte natura mortales ac dissolubiles esse, ipsiusque Dei munere res cœlestes immortalitatem adipisci, censeat, qui potuit ullam earum rerum Deum esse arbitrari? Atque hæc quidem ad argumenta Procli, quibus iisdem abundè satisfactum esse existimamus.

Sequuntur argumenta, quæ pro æternitate Mundi Averroës, aliique Peripatetici excogitarunt, quæ, ne aliquid quod ad præsentem controversiam facere videtur consultò omisisse videamur, breviter nunc expendemus.

Primum Averrois argumentum, ex Phys. lib. 1. de cœlo, depromptum, sic habet: *Qui de novo Mundum generant, debent necessariò vacuum admittere; Nam ubi nunc est Mundus, aliquando nullum fuit corpus, nimirum ante generationem Mundi, poterat tamen esse, quandoquidem postea Mundus generatus fuit, ergò illud erat vacuum; Namque vacuum non est aliud, quam receptaculum corporis, vacans tamen omni corpore.* Resp. Si per Vacuum intelligatur illud spatium seu Ubi, in quo nunc Mundus existit, utique concedo totum argumentum. Neque tamen putandum est, spatium hoc esse aliquid positivum extra Deum, aut Ens reale; siquidem nihil aliud est, quam quasi particula quædam immensæ essentiæ divinæ. Licet enim essentia Dei sit indivisibilis, non tamen, ut puncto inclusa aut spatio finito determinata, sed ut ubique diffusa atque indeterminata in infinitum concipitur; Unde & verè atque positivè immensus appellatur, ità ut extra Universi limites sese essentia Dei in infinitum extendat. Sicuti ergò duratio Mundi temporalis minimæ duntaxat durationis divinę sive ęternitatis quasi particulę coexistit, perinde quoque ejusdem spatium minimam duntaxat immensitatis divinæ quasi particulam occupat.

Secundum Argumentum Averrois, ex lib. 1. de Cœlo: *Qui ponunt Mundum de novo generatum esse, non possunt demonstrare, esse Deum, & æternitatem ejus: sicut, qui ponunt ipsum æternum esse, & coguntur dicere ante generationem Mundi fuisse aliquod corpus. Et ratio est, quoniam, quod de novo fit, non potest immediate fieri à Deo, tum, quoniam de novo fit, quod autem tale est, ab eo quod semper eodem se habet modo, proxime effici non potest: tum quo-*

quoniam quod generatur, debet prius ab alio alterari, Deus autem, & quoniam idem ac immutabilis est, & quia est incorporeus, non potest immediatè aliquid novi facere, vel aliquid alterare; illud igitur à quo Mundus proximè factus est, debuit esse corporeum, ut & alterare posset subjectum, ex quo Mundus generari debeat, & ut varietate ac novitate sui motus, aliquid novi producere posset, quod anteà non erat. Resp. Quia Mundum ex nihilo conditum à Deo docemus, optimè ex eo divinitas, æternaque ejus tum potentia tum sapientia demonstratur, ut docet Apostolus Rom. 1. 20. Quod autem Deus, quia semper idem & immutabilis est, atque incorporeus, dicitur non posse immediatè aliquid novi facere, vel aliquid alterare, non probatur: Cum enim Deus sit omnipotens, quæcumque contradictionem non implicant, qualis est existentia Mundi ejusque partium, ab ipso creari posse certissimum est. Deinde, si hoc argumentum alicujus esset ponderis, ne ab æterno quidem Mundum à Deo condi potuisse sequeretur, quia ab æterno incorporeus fuit, & consequenter nunquam potuisset, nec etiam nunc posset mutationem aut alterationem aliquam in Mundo corporeo efficere. Immutabilitati quoque Dei operationem ad extra nequaquam adversari in præcedentibus satis superque ostensum est.

Argumentum tertium Averrois: *Si quicquid fit, ex subjecto & opposito determinato fit, idque & ex vi demonstrationis & ex evidentia sensuum certum est, contrarium autem hujus, nec ratione, nec testimonio sensuum ostendi potest: planè impossibile erit ex nihilo aliquid fieri: in tali enim productione, nec subjectum, nec oppositum ullum determinatum esse potest. His adde, quod omnis actio necessariò conjuncta est cum motu, subjectum autem est inseparabile à motu, cum ponatur in definitione ejus. Quare, qui ajunt primum agens posse ex nihilo aliquid facere, non prædicant excellentiam ejus, sed potius pugnantia inter se loquuntur, quomodò enim vel circa nihilum versari, vel in nihilo recipi ulla actio potest? cum hæc sint relativa, quorum ea est natura, ut unum sine altero intelligi, nedum esse nequeat.* Resp. Ex nihilo nihil fieri, vulgo quidem dici solet; at qua ratione, aut quo illud dictum fundamento nitatur, hactenus me legisse aut audivisse non memini. Contrarium jam sæpius à nobis ostensum est. Quinimò, accuratè & strictè loquendo, quæcunque fiunt, quatenus fiunt, ex nihilo fieri, demonstravimus dictum tamen illud pro communi axiomate receptum videtur ex eo, quod omnia corpora naturalia sive composita, ex suis partibus atque principiis jam præ existentibus constare atque componi adverterent, ità ut *fieri* pro *componi* in isto dicto explicandum sit. Ad illud autem, quod dicitur, actionem non posse versari circa nihilum, aut in nihilo recipi, notandum est, haud

mirum esse actionem versari circa subjectum aliquid patiens, ut loquuntur, quotiescunque actione ista non-ens aliquod, putà accidens, producitur; accidens enim absque subjecto, cui inhæreat, esse non potest. At verò longè aliter se res habet in præsenti negotio, siquidem creatione non Accidens, sed Ens ipsum productum est, hoc autem cum subjecto inhærere nequeat, utique, τὸ nihil illius esse præcesserit, necessarium est.

Argumentum quartum Averrois: *Qui faciunt Mundum de novo, coguntur fateri aliquam mutationem factam esse in Deo; aut enim Deus eodem prorsus modo se habuit erga molitionem Mundi ab æterno, ut tunc, cum fecit Mundum, & sic necessarium est, ut vel ab æterno Mundum fecerit, vel ut nunquam fecerit: aut diverso modo se habuit Deus, tunc cum fecit, quam sese habuerat ab æterno, hæc autem diversitas, cum non potuerit oriri ex ipso Mundo, utpote qui nihil planè esset, necessariò profecta est ex ipso opifice Deo.* Resp. Operis externi productione nullam in Deo mutationem realem argui posse, jam sæpius dictum. Sicut enim deus ab æterno se Mundum conditurum decrevit, ità & eundem in tempore condidit. Condendo tamen novam ad Mundum relationem accepit, & Creator dictus est, quæ, cum nova duntaxat sit denominatio extrinseca, nullam in subjecto denominato mutationem ponit, ut alibi à nobis demonstratum est.

Argumentum quintum Averrois: *Ut se habet voluntas nova ad actionem novam, sic voluntas antiqua ad actionem antiquam: Ergo commutata proportione, sic se habebit voluntas nova ad actionem antiquam, sicut voluntas antiqua ad actionem novam, & contra: Ergo sicut est impossibile à voluntate nova prodire actionem antiquam, sic est impossibile à voluntate antiqua prodire actionem novam.* Resp. Propriè, formaliter & præcisè loquendo Deus non volendo aut decernendo, sed agendo opus externum producit. Decretum Dei æternum est, quo se in tempore hoc vel illud opus effecturum statuit, idem verò tempore statuto potentia sua exequitur. Decreto res possibilis è statu possibilitatis in statum futuritionis traducitur, & fit futura; potentia verò actu operante res è statu futuritionis traducitur in statum actualitatis, & fit actu præsens seu existens. Volitio igitur operandi necessario ipsam actualem operationem antecedit. Quamvis itaque volitio consequens non possit esse causa actionis antecedentis, potest tamen volitio antecedens, adeoque & æterna, optimè dici causa actionis consequentis, quæ fit in tempore.

Argumentum sextum Averrois: *Si voluntas æterna dicitur producere suum effectum de novo, & non ab æterno, hoc sine dubio contingit, vel ob ali-*

quod

quod impedimentum, vel ob defectum alicujus rei necessaria ad illum effectum producendum: necesse est igitur ante generationem Mundi, vel impedimentum illud removeri, vel illam rem necessariam adesse: quorum neutrum potest fieri sine motu. Saltem negari non potest, quin qui differt facere qua vult, exspectet præsentiam illius temporis, & velit prateterire totum illum tractum durationis, qua pracedit illud tunc, in quo vult effectum producere; non possunt igitur effugere quin admittant ante generationem Mundi aliquam durationem temporis extitisse. Resp. Quod Deus in illo, & non alio æternitatis suæ momento, Mundum produxerit, liberrimo ipsius arbitrio seu beneplacito adscribendum esse, jam sæpius repetitum est; ac proinde impedimentum aliquod removeri, quod nunquam fuit, aut alicujus rei necessariæ præsentia ad condendum, non opus fuit. Et profectò, si hoc argumentum aliquam vim haberet, sequeretur Deum omnia simul fecisse ab æterno, neque in tempore quidpiam de novo ab ipso fieri posse, quod tamen manifestè falsum est. Æternam quoque durationem Dei, quæ principio careat, Mundi existentiam antecessisse lubenter admittimus; sicuti etiam nos ante conditum Mundum ad salutem in Christo electos esse fides docet, Eph. 1.4.

Argumentum septimum Averrois: *Aut tempus factum est cum Mundo, aut fuit ante generationem Mundi, sed cum nec tempus sine motu, nec motus sine mobili, nec mobile ullum extra Mundum esse possit, quomodo potuit esse tempus ante generationem Mundi? Sin autem tempus factum est, cum omne quod fit, vel in tempore, vel instanti fieri necesse sit, cumque ibi tempus esse oporteat, ubi mens nostra distinguit prius & posterius, fiet profectò, ut ante generationem temporis ipsum tempus fuerit.* Resp. Ut hæc difficultas, quæ de tempore moveri sæpius in hoc negotio solet, plenè tollatur, notandum est, Tempus nostrum commune nihil aliud esse, quam durationem motus solaris sive veri sive apparentis, quatenus nempe pro communi omnium particularium durationum mensura habetur. Hinc enim est, quod secundum hunc motum, ejusque quasi particulas, annos, menses, dies, horas, &c. numerare soleamus. Advertendum igitur, durationem hanc Solis, cjusque motus dupliciter considerari posse, *absolutè* & in se, vel *relativè* ad res ipsi coëxistentes, seu quatenus mensura est omnium durationum particularium. Motus Solis priori modo consideratus Tempus formaliter non appellatur, sed posteriori modo tantum; adeoque revera Tempus formaliter sumptum mentis aut liberi arbitrii opus est. Ità enim inter homines convenit, ut motum Solis pro mensura generali omnium durationum haberent. Si enim homines voluissent ex alio motu, putà Lu-

næ, Jovis, Veneris, vel alterius astri numerare annos, menses, quid prohibuisset? Temporis ergò denominatio atque distributio mentis opus est. Et hinc jam facili negotio intelligitur, quid de productione Temporis dicendum sit. Si enim Tempus materialiter sumatur pro duratione aut existentia rei ipsa, utique simul cum ipsa Tempus productum esse certum est: Si verò propriè, præcise, & formaliter sumatur pro relatione aut denominatione extrinseca, utique non nisi à mente ejusque actione, aut libera hominum institutione causari potuisse, manifestum evadit. Ad argumentum igitur dico, Tempus nostrum commune materialiter sumptum cum Sole, vel corpore illo luminoso, quod diem inter & noctem in principio distinguebat, ejusque motu factum esse: formaliter verò sumptum à libera hominum institutione esse profectum. Non igitur Tempus fuit ante generationem Mundi. Ad illud autem, quod quæritur, utrum Tempus factum sit in instanti, an verò in tempore, Resp. ejus principium cum ipso primi motus principio cæpisse, ità ut ante generationem temporis tempus non fuerit, sive materialiter sive formaliter consideretur. Ut autem hæc, quæ præter vulgarem Philosophiam de Tempore disseruimus, clarius percipiantur, imaginetur sibi aliquis ut existens in Cælo, vel Sole, ubi certè nec Solis, neque alterius corporis cœlestis, neque terræ motum advertere posset. Jam verò quæro de tali homine, utrum hoc nostrum tempus ipsi notum esse posset, & utrum annorum nostrorum, mensium, dierum atque noctium, &c. ipsi in mentem veniret? Negativa certè mihi verissima est; cum enim ille nec Solis motum, ulliusve alterius corporis vel astri advertere posset, nec noctes diesque inter destinguere, utique saltem tempus nostrum ibi in considerationem venire non posse, evidens evadit. Ex quo jam discursu constare arbitror, tempus nostrum in re non esse Ens aliquod distinctum aut à Deo creatum, quod in Universo alicubi existat, aut essentiam habeat, sed esse relativum quid ad res in terra existentes, siquidem homines motum Solis, sive verum sive apparentem, observantes juxta eum durationis suæ aliarumque rerum partes numerare solent.

Argumentum octavum Averrois: *Nullum agens differt agere bonum quod vult & intendit; nisi vel ob aliquod impedimentum, vel propter aliquod majus bonum: Cum ergo ante generationem Mundi nihil planè esset, vel quod resisteret divinæ potentiæ, eamque retardaret, vel quod melius esset Mundo, nulla causa assignari potest, propter quam Deus non ab æterno Mundum fecerit. Incredibile item est Deum elegisse privationem Mundi, quasi tempore infinito: nunquam enim privatio, aut est prior habitu, aut diuturnior eo, nisi per accidens.*

cidens. Resp. Jam sæpius responsum, Deum ex liberrimo suo & sapientissimo beneplacito Mundum condidisse eo tempore, modo, forma, figura, situ, ordine, quibus ipsi visum fuit, neque alia à nobis horum omnium ratio assignari potest, aut quæri debet.

Argumentum nonum Averrois: *Causa & causatum sunt relativa: sicut ergò accidit Mundo de novo esse causatum, sic accidet Deo de novo esse causam Mundi; cum ergò ab æterno non fuerit causa, posteà verò de novo esse cæperit causa Mundi, idque non extrinsecus evenerit, (nihil enim erat extra Deum ante generationem Mundi) necesse est confiteri, id accidisse ob aliquam mutationem factam in ipso Deo. Si igitur Deus ab æterno omnes conditiones habuit, quæ requiruntur ad efficiendum Mundum, quid causa reddi potest, cur maluerit ab æterno non esse Mundum, quam esse? quis enim non, inquam, sapientißimus & optimus, cujusmodi est Deus, sed qualicunque artifex, cum poßit facere aliquod opus optimum, malit dici & esse opifex ejus potentia, quam actu, cum tamen actus sit perfectior potentia?* Resp. Similiter & hoc sæpius dictum, ex nova Mundi creatione nihil novi Creatori accessisse, quam externam denominationem, quæ nullam in ipso mutationem arguit. Sicuti enim ex eo, quod Deus in extremo seu fine Mundi omnes universaliter & singulos homines sit judicaturus, non sequitur ipsum tunc mutatum iri, perinde quoque ex eo, quod in principio Mundum creaverit, ipsum in principio mutatum esse deduci non potest. Nam, ut à creatione Creator, ita à judicio extremo judex universi appellatur. Idem quoque de singulis Dei operibus argumentum, ut aliquoties notatum, institui posset. Quod denique in fine dicitur, actum esse perfectiorem potentia, verum ut sit de potentia passiva, quę per actum perficitur, eique opponitur, falsum tamen est de potentia activa, quæ ipsamet actus est & summa in Deo perfectio; adeoque nec Deus agendo perficitur. Et si nunquam extra se operatus fuisset, haud tamen imperfectior dici potuisset; quia semper ab æterno sibi sufficiens, & infinitè potens perfectèque in se beatus existit.

Argumentum decimum Averrois: *Qui ajunt Mundum de novo creatum esse à Deo, censent ante hunc Mundum alium potuisse creari, & ante illum alium; ex quo fit, ut dilatio primi Mundi longior esset quam secundi, & secundi quam tertii; & tertius antiquior esset quam secundus, & hic quam primus: dico autem primum hunc nostrum Mundum, qui factus est. Et inter tertium, & secundum, & inter hunc primum, intercederet aliqua duratio, quæ cum non esset æterna, deberet esse temporalis: Quare tempus esset sine Mundo. Confirmatur hoc, quoniam ubi intellectus noster invenit prius & posterius, longius & bre-*

brevius secundum durationem, ibidem tempus esse oportet. Resp. Negari non posse, quin ante hunc Mundum, alium creare potuerit Deus, quia ab æterno fuit omnipotens; quem si fecisset, etiam ipsum suum tempus atque durationem habiturum fuisse certum est: adeoque & fuisset tempus ante hoc nostrum tempus, sicuti fuisset Mundus ante hunc nostrum Mundum. Et, quid hic absurdi sit non video; sicut enim in hoc Universo unumquodque Ens particulare suum habet tempus proprium, quo durat, & unum tempus suum ante aliud; Ecquid absurdi, si Deo ità visum fuisset, post unum Mundum iterum condere alterum, & post illum iterum novum? Quemadmodum, si tempore diluvii Mundum annihilasset, novumque hunc posteà condidisset; Nonne tunc ille Mundus hunc nostrum, adeoque & illius tempus antecessisset, sicuti & jam reverà antecessit? Quod autem tempus, quale nunc nos habemus, sive materialiter sive formaliter sumptum, sine Mundo hoc nostro non esse possit, constat ex dictis.

Argumentum undecimum Averrois: *Quod est non generatum, necesse est esse incorruptibile: cum ergò ante generationem Mundi possibile fuerit Mundum generari, alioqui non fuisset generatus, & talis possibilitas sit æterna à parte ante, erit quoque æterna in posterum; quare nunquam cessare poterit: non cessante autem possibilitate, impossibile est actu Mundum esse; cum enim primum Mundus actu esset, corrumperetur illa possibilitas: at posuimus illam sempiternam: possibilitas enim alicujus rei desinit, cum primum illa res actu incipit esse.* Resp. Possibilitas, à qua Mundus ab æterno possibilis dicitur, non est aliquid reale in subjecto extra Deum existens, sed vel ipsa potentia Dei, qua Mundum ex nihilo producere potuit, vel pura & puta negatio contradictionis aut repugnantiæ, ut aliquando in tempore producatur, vel existat Mundus. Hęc autem possibilitas non mutatur, aut esse desinit, quin imò per existentiam Mundi quam maximè comprobatur; quicquid enim actu existit, ut existat haud repugnat, & nullam habet contradictionem. Si enim non posset existere, ne existeret quidem; sicuti enim ex eo, quod actu jam loquor aut scribo, rectè colligitur in me esse loquendi & scribendi potentiam; ita quoque ex eo, quod Mundus existat, rectè colligitur, quod habeat existendi potentiam, sive, quod idem est, quod existentia ipsius naturæ haud repugnet, quodque proinde Deus illum producere possit.

Argumentum duodecimum Averrois: *Ante generationem Mundi possibile fuit Mundum generari; omnis autem possibilitas fundatur in aliquo subjecto, quod dicitur esse possibile: omni enim agenti respondet patiens, cum sint rela-*

relativa; quare sicut possibilitas activa non potest esse nisi in aliquo agente, sic nec possibilitas passiva potest esse nisi in aliquo patiente: & sic necesse est concedere, ante generationem Mundi aliquod subjectum fuisse. Confirmatur hoc, quoniam Physicus ex iis, quæ sunt nota sibi, judicare debet de iis, quæ sunt ignota; cum igitur in cujuslibet rei generatione, videamus non unum oppositum recipere alterum, vel transmutari in alterum, sed aliud, quod est subjectum utrique: præter rationem est, & contra disciplinam physicam, dicere in generatione Mundi, non præfuiße aliquod subjectum, sed ipsum non Ens transmutatum esse in ipsum Ens. Resp. Responsio patet ex dictis: Possibilitas enim activa in solo Deo est, & ab infinita ipsius potentia haud differt; possibilitas verò passiva nihil est aliud quam pura puta negatio contradictionis aut repugnantiæ ad existendum, quæ, cum accidens non sit, subjectum patiens, cui insit, non requirit. Et, cum dicimus, Deum *ex nihilo* Mundum condidisse, sensus non est, *Non-ens* aut τὸ *nihil* transmutatum esse in *Ens*, (quomodò enim *Nihil* mutari posset?) sed, τὸ *Nihil* mundi illius existentiam præcessisse, & ante Mundum conditum præter Deum fuisse merum *Non-ens*, & *Nihil*. Atque hæc similiter ad argumenta Averrois sufficiant.

Exponuntur deinceps à Pererio alia duodecim argumenta pro Mundi æternitate, quæ proinde & præcedentibus subjicere libuit, tum, ne quicquam, quod veritati adversari & officere posse putaretur, nos quasi dissimulantes consultò taciti præteriisse videremur: tum, quod, discussis omnium difficultatum tenebris, tantò illustrior atque jucundior omnibus veritatis esset adspectus.

Primum autem argumentum est tale: *Quod de novo creatur, aut ante potuit fieri, aut non; si non potuit fieri, non poterit igitur creari; si potuit esse, ubinam illa potentia erat? In nihilo non potest esse, nec in subjecto, quia creatio non præsupponit subjectum aliquod. Et confirmatur, quoniam creatio non est ipsa res quæ creatur, neque est Deus qui creat, sed est actio quædam proficiscens à Creante, & quæ terminatur ad rem creatam, hanc autem actionem in aliquo subjecto recipi oportet; at hoc repugnat creationi, quæ dicitur esse productio ex nihilo.* Resp. Jam plus sæpius dictum est, potentiam, illam ficendi seu possibilitatem passivam in re nihil aliud esse, quam non repugnantiam, aut negationem contradictionis, quæ, cum accidens non sit, subjecto, cui inhæreat, non opus habet. Actio quoque haud satis accuratè dicitur esse vel recipi in subjecto, quia actionis esse, non est *inesse* vel *inhærere*, quod accidentium est, sed est id, quo aliquid fit aut producitur, ut in Metaphysica, à nobis ostensum est. Estque ex Non-entium genere,

quæ

quæ propriè nec essentiam, nec existentiam habent, cujusmodi quamplurima dari alibi docuimus.

Argumentum II. *Si Mundus creatus est ex nihilo, cum ipsum Nihil sit quoddam indefinitum & indeterminatum; praterea ipse Deus sit indifferens ad producendum quodlibet; non potest assignari ulla verisimilis ratio, cur à Deo potius hoc Ens determinatum factum fuerit, quam aliud, & tunc, quam alias: verbi gratia, si producit cælum ex nihilo cum Deus indifferens sit ad producendum Cælum & quodvis aliud; similiter & ipsum nihil, non sit magis determinatum ad productionem Cœli, quam alterius Entis, cur potius nunc producitur Cœlum, quam aliud quodlibet Ens? Vel à quo determinatur talis productio ex nihilo ad ipsum Cœlum, potius quam ad aliud Ens?* Resp. Omnia jam dicta sunt; quod enim Deus hunc Mundum, has partes, hunc solem, hanc Lunam, hæc sydera, aliaque cuncta tali ordine, situ, magnitudine, figura &c. condiderit, id omne soli sapientissimo ipsius beneplacito adscribendum esse jam sæpius notatum est. Possetque eadem quæstio de singulis moveri creaturis; Ex. Gr. Quare Solem, Lunam, hominem, equum, elephantem, muscam, arborem, plantam &c. ad hanc quantitatem atque figuram determinaverit, & non majorem aut minorem; quare hoc loco, tempore, ordine &c. Quibus profectò omnibus aliud responderi non potest, quam, quia sic Deo placuit, qui aliter potuit, si voluisset.

Argumentum III. *Si cœlum, verbi gratia, de novo productum est, quaro antequam produceretur, vel poterat produci & non produci, vel ex necessitate productum est: si prius dicas, sequitur ut cœlum sit corruptibile; nam quod ante sui productionem poterat esse, & non esse, postquam productum est, adhuc poterit esse & non esse: Sin autem posterius dixeris, cum talis necessitas non possit esse, nisi ex parte agentis, extra ipsum enim nihil prorsus erat ante generationem Mundi, oportebit Deum ex necessitate Mundum produxisse; quod si ex necessitate produxit, cur non ante, seu ab aterno produxi? Nisi fortè aliquod fuit impedimentum, quod retardarit ipsum.* Resp. Nihil novi dicitur; Cum enim jam aliquoties repetitum sit, ex libertate sua & beneplacito Mundum condidisse Deum, consequens est, quod antequam productum esset Cœlum, potuerit & produci & non produci; quodque proinde ex necessitate naturæ nequaquam productum sit. Quod verò inde infertur Cœlum fore corruptibile, falsum est cum enim Deus pro arbitrio suo omnipotenti partes Mundi produxerit, utique easdem & corruptibiles & incorruptibiles condere potuit. Habent namque creaturæ esse tale, quale ipsis Creatori dare placuit. Interim & hoc concedi potest, quod

sem-

ſemper in creaturis ſit potentia non eſſendi, id eſt, quod poſſint non eſſe, aut quod non repugnet ipſis τὸ non exiſtere; ſiquidem abſoluta eſſendi vel exiſtendi neceſſitas ſoli Creatori convenit. Et, cum omnipotens ſit, omnibus eſſe, quod dedit, iterum auferre, ſi vellet, poſſet.

Argumentum IV. *Aut Deus potuit facere Mundum ab æterno, aut non: ſi potuit, cum Deus & natura ex poſſibilibus faciat quod melius eſt, melius autem ſit Mundum eſſe, quam non eſſe, procul dubio ſi potuiſſet illum facere, ab æterno feciſſet: ſi non potuit facere ab æterno, ergò oportuit ut æterna quædam duratio præcederet molitionem Mundi; & videtur & abſurdum & incredibile, quod Deus per totam æternitatem exſpectare debuerit, donec potuerit Mundum facere; Nam, ſi Deus non poteſt* Mundum *facere ab æterno, faciat igitur tunc cum primum poteſt facere, & cum illud (tunc) præceſſerit æternitas, aut ante illud (tunc) poterat facere* Mundum, *aut non; ſi non potuit, hoc eſt incredibile, cum tunc potuerit, & non ante: ſi potuit, ergo potuit facere* Mundum *antequam potuit*. Reſp. Ad hoc quoque argumentum reſponſio patet ex præcedentibus. Nempe potentia Dei quidem eſt æterna, adeoque ſemper in Deo fuit condendi poteſtas, at verò potentia condendi æternum Mundum, non eſt aut unquam fuit in Deo, ſicut nec potentia condendi alterum Deum. Potuit etiam Deus condere Mundum, in priori, ut ità loquar, æternitatis ſuæ momento quam condidit, quia liberè condidit, & etiam huc uſque à creatione potuiſſet ceſſare, ſi voluiſſet, ſemper autem, quandocunque Mundum conderet, neceſſe fuit ut ſuum exiſtendi principium Mundus acciperet; adeòque nunquam potuit Mundus eſſe ab æterno, quia æternitas principii expers eſt. At, dicit adverſarius, *faciat Deus Mundum tunc, cum primum poteſt facere*; Verum nunquam eſt aut fuit illud *tunc*, quo primum potuit facere, quia ſemper ab æterno potuit facere, cujus primum Nunc, aut principium non eſt. Nullum igitur in æternitate *Nunc*, aut *tunc* cogitari poteſt, quo primum Deus potuiſſe inceperit. Potentiam ergo condendi æternam in Deo agnoſcimus, at verò effectum illius potentiæ æternum eſſe poſſe, aut æternitatis capax eſſe conſtanter negamus, quia hoc creaturæ ex nihilo producendæ repugnat. Potuit quidem Deus Mundum creare antequam condidit, ut dictum, & in quolibet æternitatis ſuæ momento retrò cogitando; (ſc. noſtro concipiendi modo, quia propriè loquendo in Deo ejuſve æternitate prius aut poſterius non datur, cum ſit indiviſibilis duratio, & ſucceſſionis expers) At verò in quocunque momento æternitatis, quomodocunque concipias, Mundus fuiſſet creatus, nunquam tamen fuiſſet æternus, propter rationem ſæpius dictam. Simili rem

declaro: Deus potest facere corpus finitum quodlibet majus & majus, nullaque adeò magna cogitari potest quantitas, quin major à Deo fieri possit nunquam tamen Deus poterit efficere quantitatem absolutè infinitam. Eodem prorsus modo, duratio mundi antecedens potuit esse major & major, Ex. Gr. potuit extendi ad millies millia annorum & ultra; verò quomodocunque vel cogitando illa duratio retrò extendatur numerusque annorum augeatur, nunquam tamen effeceris ut duratio sit æterna, quia æternitas creaturis repugnat, & infinitus numerus est impossibilis.

Argumentum V. *Si Mundus, cujus aliæ partes sunt corruptibiles, aliæ incorruptibiles, de novo factus est, omnes partes ejus inceperunt esse: quod autem incipit esse, desinit etiam esse; non igitur erunt aliquæ partes Mundi incorruptibiles. Ex contrario autem videntur omnes debere esse incorruptibiles: Nam quod non est factum ex subjecto & contrario, id non est corruptibile; sed tales sunt omnes partes Mundi, utpote quæ à Deo producta sunt per creationem; ergò omnes oporteret esse incorruptibiles.* Resp. Concedimus Mundum, omnesque partes illius esse suum incepisse, id est, principium habuisse essendi seu existendi; falsum autem est, illud quod incipit esse, necessariò etiam esse desinere: siquidem Deus pro sua omnipotentia, ut omnibus rebus esse suum dedit, ità singularum quoque esse determinavit pro suo arbitrio, vel ad corruptibilitatem, vel ad incorruptibilitatem. Quod ergò sublunaria corpora pleraque corruptibilia sint & particulis sæpè contrariis permixta, cælestia verò (ex communi sententia admodum incerta) incorruptibilia, ut & spiritus, animæque rationales, id sapientissimo ipsius arbitrio attribuendum.

Argumentum VI. *Motus mensuratur tempore; si ergò incæpit esse, vel incæpit in instanti, vel in tempore; fuit igitur tempus ante motum, at tempus non est sine motu. Adde, quod tempus sit passio & numerus motus, sicut non datur prima pars, vel primum mutatum esse ipsius motus, ità non dabitur prima pars vel primum instans temporis, quare tempus erit infinitum. Quod si dicas tempus & motum concreatum esse cum ipso Mundo, hoc non potest dici; Nam quæ concreantur, eâdem productione terminantur, & efficiuntur; at Mundus vel cælum cæpit esse per primum sui esse, cum sit res permanens, & substantia completa per creationem producta: motus autem non potuit sic incipere, cum sit ens successivum: non enim potest dari vel prima pars vel primum mutatum esse motus; ergo terminata creatione Cœli, nondum erat motus:* Resp. Nos, quicquid alii de tempore & motu philosophentur, simpliciter dicimus tempus constare & componi ex momentis seu minimis particulis, & similiter etiam

etiã motũ; sicuti enim corpora & lineas ex atomis & punctis finitis componi in Physica docemus, analogicè idem de tempore & motu sentiendum putamus. Quibus positis ad dubium propositum responsio est facilis, nimirum, ut motum, ità & tempus incepisse in primo sui momento, id est, eo ipso momento, quo vel Sol vel Lux primigenia esse suum accepit, & moveri cœpit. Cæterum de Tempore nostram sententiam paucis explicatam vide suprà in responsione ad argumentum undecimum Averrois. Falsum igitur est, non dari primam motus partem, nec primum temporis sistans; sicuti enim præsens momentum sive τὸ νῦν principium est temporis futuri, ità quoque primum præsens fuit principium temporis universi jam inde à primo exordio Mundi.

Argumentum VII. *Præstantius est non posse non facere bonum, quam posse non facere bonum, sicuti melius est facere bonum, quam non facere bonum; & melius est non posse facere malum, quam posse facere: sed communicare se aliis est bonum & divinum quidpiam, imò videtur esse proprium summi boni, & inseparabile ab ipso; cum igitur hæc communicatio in molitione Mundi consistat, non potuit Deus non facere Mundum; quare vel ab æterno fecit, vel aliquod impedimentum fuit, propter quod non ab æterno fecerit; atqui nullum impedimentum fingi potest, quod Deum retardare potuerit; Ergo Deus fecit Mundum ab æterno.* Resp. Necessariò quidem bonum est, quod Deus facit, & quandò facit, quia natura sua bonus malitiæ author esse nequit; at verò exinde non sequitur, quod Deus necessariò operetur extra se. Est enim agens liberrimum, qui operatur ex libero suo arbitrio, quando vult. Et reverà, si Deus operaretur ex necessitate naturæ, non tantum sequeretur ipsum extra se ab æterno operari, verum etiam ipsum operari omnia extra se simul, quæcumque posset; cum agens ex necessitate naturæ agat, ut liquuntur, secundum ultimum potentiæ suę: Sicut ignis, ex necessitate naturæ suæ urens, non tantum semper urit, verum etiam tantum, quantum potest. Deus autem, cum operetur liberè, producit quidem extra se, quod bonũ est, sed non necessariò semper producit: quemadmodum & quando aliquid revelat verbo, semper quidem illud verum est, quia natura sua Deus verax est, & ἀψευδής; at tamen inde non sequitur, quod semper & ab æterno illud revelet, ut notum. Denique, & hoc addi posset. Deum quidem ab ęterno non posse non facere bonum, sc. in se, seipsum contemplando & amando, non verò extra se; quia actiones Dei ad intra ut loquuntur, sunt necessariæ, ad extra verò libera.

Argumentum VIII. *Deus semper ac necessariò facit, quod melius est: si enim ex duobus oppositis non semper eligeret ac faceret quod melius est, sed in-*

terdum quod deterius est, profectò nec esset summè sapiens, nec summè bonus: vel ergò simpliciter melius est Mundum esse, quam non esse, vel è contrario, non esse; quod si melius est Mundum non esse, quam esse nunquam ergò Mundus potuit vel debuit fieri à Deo; sin autem melius est Mundum esse, quam non esse, ergò Deus necessariò (non quidem necessitate coactionis, sed necessitate opposita contingentiæ) fecit Mundum; sicuti ergo non est contingens Mundum fieri vel non fieri; ità non erit contingens Mundum de novo fieri, vel ab æterno fieri. Oportet igitur alterutrum horum esse necessarium; sed non fuit necessarium de novo fieri, ergò fuit necessarium ab æterno fieri. Resp. Deum aliquid extra se facere necessariò constanter negamus; exceptâ tamen illa necessitate, quæ fluit ex præscientia divina, & liberrimo illius decreto, quæ infallibilitatis consequentiæ & hypothetica dici solet, & libertati non repugnat. Quodcumque ergò facit Deus, quando facit, semper melius ac optimum esse libenter credimus, licet interim nos semper bonitatem illius haud rectè queamus assequi, quia haud perpetuò percipimus finem, quem Deus suis operibus intendit. Cum ergò in hoc æternitatis suæ momento existere Mundum voluerit Deus, & non in alio, sive priori sive posteriori, id quoque melius esse asserimus, quam si in priori vel posteriori extitisset, nempe, quia sic Deo placuit; Quod si tamen in alio eum extare voluisset, utique & hoc tunc fuisset melius propter eandem rationem. Plura de hoc argumento vide in responsione ad argumentum Aristotelis XII. Cæterum, Deum non contingenter Mundum condidisse nos asserimus, sed ex libero suo arbitrio, idque juxta æternum suum decretum; Unde & hoc sensu quædam hoc loco necessitas admitti potest, sc. quæ fluit tum ex præscientia, tum ex decreto Dei, ut suprà dictum. Et hoc sensu dicimus, Deum necessariò Mundum condidisse eo tempore & momento; quo condidit, quia se tunc conditurum decreverat; adeoque concludendum est necessarium fuisse, ut Mundus in tempore de novo fieret, quia Deus ab æterno ab se in tempore Mundum conditum iri decreverat.

Argumentum IX. *Si deus necessariò facit quod melius est: & bonum, quo est diuturnius, eò melius: Cum igitur mudum esse bonum sit, melius utique fuerit ipsum æternum facere, quam novum. Quare sic à Deo factus est.* Resp. Ad hoc argumentum jam quoque suprà responsum est, sc. ad XII. Aristotelis, ità ut nihil hic addi sit necesse.

Argumentum X. *Si melius est mundum esse, quam non esse, & Deus necessariò facit quod melius est, quomodò non est absurdum dicere mundum de novo factum esse? Sic enim Deus præposuisset privationem mundi generationi ejus,* id

id est, fecisset non esse mundi æternum, esse autem ejus novum. Resp. Neque hoc argumentum quicquam habet, ad quod non satis superque responsum est. Quando enim dicimus Deum facere quod melius est, seu majus bonum, non judicandum illud bonum ex judicio nostro, sed ex judicio Dei; ità ut sensus sit, Deum semper operari id, quod ipse optimum judicat. Jam verò, cum Deus in hoc & non alio æternitatis suæ momento Mundum creare voluerit, credendum utique ipsum optimum judicasse suæ gloriæ & potentiæ illustrandæ, ut eo & non alio æternitatis suæ momento conderetur.

Argumentum XI. *Si mundus de novo factus est, quæro: in tota illa æternitate, quæ præcessit generationem Mundi, vel Deus erat imperfectus & otiosus, quia nihil faciebat; vel æquè perfectus, ac modo est; & tunc, vel erat necessarium, utile, & decens mundum esse, vel non, si igitur in illa æternitate fuit, vel necessarium, vel utile, vel decens, ut mundus esset; oportebat mundum à Deo, qui summè bonus est, in illa æternitate factum esse: si autem tunc non erat necessarium, aut conveniens, aut decens, vel fuit hoc tunc cum conditus est, vel nihil horum fuit; si fuit, quærenda est ratio diversitatis hujus, cur fuerit tunc, & non prius, vel ab æternitate: si nihil horum fuit, ergo frustra mundus factus est: quod enim neque necessarium est fieri, neque utile, neque decens, frustrà fit.* Resp. Deum ab æterno infinitum & summè perfectum fuisse certissimum est, adeoque condendo Mundum majorem perfectionem aut beatitudinem non est adeptus. Otiosus quoque ab æterno esse non potuit, siquidem semper sibi sufficiens, summeque beatus in sui-ipsius se contemplatione atque amore oblectavit, ut aliquoties monuimus. Utile autem, decens atque conveniens fuit, ut Mundus demum in tempore crearetur, quo conditus est, quia sic judicavit sapientissimus Deus. Necessarium autem non fuit, ut conderetur, nisi ex divinæ voluntatis hypothesi & in sensu, ut ajunt, composito, quia liberè condidit Deus, & poterat non condere, si voluisset.

Argumentum XII. *Cum Deus sit summè bonus, & velit omnia sibi esse quam simillima, præsertim ea quæ immediatè procedunt ab ipso; sicuti alias perfectiones communicavit creaturis, credendum est etiam communicasse æternitatem, quæ est una ex perfectionibus divinis: & quemadmodum fecit Intelligentias in aliis omnibus rebus ipsi similes, ità etiam fecisse in æternitate. Adde, quod magis apparet excellentia Dei, & infinita virtus ejus, si credatur & prædicetur, non modò authorem esse rerum caducarum & mortalium, sed etiam Opifex esse immortalium & sempiternarum; ut non solum possit creaturæ tribuere æternitatem à parte post, (ut dicunt Scholastici) sed etiam à parte ante.* Resp.

Si Deus, quia summè bonus, vellet omnia sibi esse quam simillima, omnia quoque inter se quam simillima & æqualia esse sequeretur, quod apertè falsum est. Voluit ergo Deus creaturas suas singulas tales esse, quales condidit, iisdemque proinde perfectionibus præditas, quibus jam eas præditas esse videmus. Proprias autem suas perfectiones, cum sint infinitæ, nec communicavit creaturis, nec voluit communicare, nec potuit, quia sic Deos fecisset, & creaturas Creatores, quod implicat. Unde quoque neque æternitatem creaturis communicatam esse, aut communicari potuisse consequitur. Angeli, quos Intelligentias vocant, licet cæteris omnibus creaturis perfectione & dignitate antecellant, Dii tamen propriè loquendo non sunt, neque perfectionibus divinis donati, adeoque nec æterni; & quamvis immortales sint atque incorruptibiles, in tempore tamen sunt conditi, & principium durationis suæ à Deo acceperunt. Denique, excellentia & summa Dei potentia satis ex operibus conditis apparent, inter quæ etiam res multæ incorruptibiles reperiuntur. At verò creaturas statuere æternas à parte ante, ut loquuntur, apertam contradictionem involvere censemus, quia esse creaturæ postulat, ut illius non esse antecedat, & principium habeat existendi, quod æternitati repugnat, quæ principii expers est. Neque haud parum hoc facit ad excellentiam Dei, quod nulla possit esse creatura, quæ ipsi sit coæterna, aut sive in essentia, sive in vita, sive in perfectione, sive in duratione, coæqualis.

Atque hęc quidem dicta sint contra Aristotelem, Proclum, Averroem, aliosque qui ęternitatem Mundi præfractè tueri volunt, eamque contra ipsius naturę & S. Scripturæ Lumen mordicus ratiunculis suis evincere conantur. Quia verò etiam inter Christianos & Scholasticos Doctores, quos profectò minimè decebat, haud pauci inveniuntur, qui licet necessarium non esse, ut Mundus sit ab æterno, fateantur; ęternitatem tamen illius possibilem esse existimant, ità ut novitas essendi ad essentiam Creaturæ nequaquam pertineat; Operæ quidem pretium videtur, ut etiam hæc controversia Paulò accuratius hoc loco tractetur. Verum, quia jam abundè satis de hac opinione à nobis Disputatum est in speciali disputatione de Creatione Mundi, Quæst. 10. habita in illustri Schola auriaca, 29. Aug. 1663. Cumque ex pręcedentibus satis superque æternitatē Creaturæ repugnare demonstratum sit, exercitationi huic nostræ finem imponere visum fuit; Deumque æternum atque immortalem humiliter rogamus, ut gratia sua in Christo Jesu tandem aliquando mortalitate hac piè transactâ, ad beatas Cœli sedes evolantes, felicissima ejus æternitate, æternoque gaudio, omnibus compleri bonis, perfruamur.

F I N I S.

L E C T O R I S.

Amice Lector, Author à prælo absens errata omnia corrigere haud potuit; quædam hic annotare visum fuit, reliqua minutiora, ut & distinctionum notulas, puncta & commata ipse facilè advertes, & pro æquitate tua corriges, Vale.

Numerus prior paginam, posterior lineam notat.

Pag. II.36. *lege* alterum. III. 7. alterutrum. 17. naturalia. 18. generentur. 28. falsis. IV. 23. deceptus. 37, rerum. VI. 2. percipiat. 3. se extendit. VII. 6. necessitari eam. 36. quæ. VIII. 7. Stultus. IX. 36. planè. XI. 27. rei. 37. tandem. XII. 2. materia. 13. obscuriora. 18. necessariæ sint. XIV. 6. cristallinum. 18. fallatur. XV. 26. etiamsi quis. XVI. 10. cogitantes. XVIII. 3. ejusdem. XIX. 19. *post* (absque) *adde* (existentia posset, siquidem creaturæ haud repugnat esse absque. XXII. 19. eo. XXIII. 4. habent. 25. συκατίθεσθαι XXXI. 26, hinc. XLIV. 31. attribuendæ. LII.. 2. infallibiliter. LIV. 28. cum assentimur. 29. quam non percipimus. LXVIII. 31. perfectionis. LXX. 11. differre. LXXV. 21. accedat. LXXVIII. 39. sui esse. LXXX. 9. quid. Reliquas paginas propter festinationem Typographi non perlegi.

EXAMINIS PHILOSOPHIÆ RENATI DES-CARTES SPECIMEN,

SIVE

Brevis & perspicua Principiorum Philosophiæ Cartesianæ Refutatio,

AUCTORE

JOHANNE SCHULERO,

Lib. Art. Mag. Philosophiæ Doctore & Professore.





AMSTELODAMI,

Apud PETRUM LE GRAND,

cIɔ Iɔc LXVI.

SENECA EPIST. XXXIII.

Turpe est seni, aut prospicienti senectutem ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit. Tu quid? Hoc Cleanthes. Tu quid? Quousque sub alio moveris? Et impera & dic, quod memoria tradatur: aliquid & de tuo profer. Omnes itaque istos nunquam auctores, semper interpretes, sub aliena umbra latentes, nihil puto habere generosi, nunquam ausos aliquandò facere, quod diu didicerant. Memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est, meminisse: aliud, scire. Meminisse est rem commissam memoriæ custodire. At contra scire, est & sua facere quæque, nec ab exemplari pendere, & toties ad Magistrum respicere. &c.

Ibid.

Nunquam autem invenietur, si contenti fuerimus inventis. Præterea, qui alium sequitur, nihil invenit, imò nec quærit. Quid ergo? Non ibo per priorum vestigia? Ego verò utar via veteri: sed si propiorem planiorémque invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non Domini nostri sed Duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex ea etiam futuris relictum est.

Alibi: *In re maxima & involutissima, in qua cum etiam multum actum erit, omnis tamen ætas, quod agat, inveniet.*

Item: *Agamus bonum Patremfamilias. Faciamus ampliora, quæ accepimus. Major ista hæreditas à me ad posteros transeat. Multum restat operis, multúmque restabit: nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.*

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

QUantoperè ſemper libertatis philoſophicæ amans fuerim, Lector benevole, teſtantur quæcunque de rebus philoſophicis à me hactenus meditata lucem aſpexerunt. Quin imò eouſque hanc libertatem amplector, ut non tantùm alienarum, verùm nec mearum opinionum mancipia quæram. Et quam aliis vendico, eandem & mihi vel circa mea ipſius libertatem conſtanter ſervare decretum eſt. Deteſtor & deteſtabor ſemper id hominum genus, qui dictata ſua oracula credunt, ſéque extra omnem errandi aleam miſeri Philoſophaſtri conſtitutos rentur. Eſt quoddam Philoſophorum genus, qui ſe totos Ariſtoteli tradiderunt, ab eoque ejuſque effatis vel minimùm deflectere piaculum ducunt. Sordes hi Peripatus pro deliciis habent, & veritate ipſos radiis ſuis vel invitos colluſtrante nonnunquam neglecta, ingenii tamen faſces Ariſtoteli ſubmittendos judicant. Hi ſanè valedicto naturæ libro in ſolo Ariſtotele Philoſophiam habitare exiſtimant, ejuſque proinde placitis veritatem concluſam putantes naturæ ſacraria ne à limine quidem ingredi ſuſtinent. Ecquis autem à tali-

bus veritatem exſpectet, dum non veritati, ſed Ariſtoteli litare ſe oſtendant. Neque ego genuinos iſtos Ariſtotelis diſcipulos credam; ſiquidem ipſemet, quamvis Platonem quidem & Socratem amicos habuerit, Veritatem tamen iis ſemper ſeſe prætuliſſe profeſſus ſit. Quam parum antiquorum is autoritates curaverit paſſim ſcripta illius luculenter demonſtrant. Quoties in iis videmus ipſum veterum cenſorem acerrimum? Ab eorum recedere Philoſophia, fundamenta eorum convellere, ſenſa expungere, deſpicere, irridere ipſi ſolenne. Ne Platoni quidem Præceptori ſuo, cujus viginti annos auditor fuiſſe fertur, obſtrepere & contradicere ipſi religioni fuit. Libertatis ergò ipſe amantiſſimus cùm fuerit, & προστάτης acerrimus, ecquis hominum mancipia genuinos ipſius diſcipulos dixerit? Ariſtoteles, non quod aliis, ſed quod ſibi verum videbatur, liberè effatus eſt; noſtri verò Peripatetici, alio longè genio ducti, ut Ariſtotelem intelligant, non verò ipſam naturàm rerum, id unicè duntaxat penſi habere videntur. Hi ergò dum σόφοι haberi volunt, δοῦλοι mundi facti ſunt, & ineptos ſeſe oſtendunt Philoſophaſtros. Nobilioris itaque notæ Philoſophi turpiſſimum hoc ſervitutis jugum jam dudum excutere conati ſunt. Ipſe Theophraſtus haud degener Ariſtotelis diſcipulus, ejuſdemque veſtigia premens, & in Περιπάτῳ ſucceſſor, minimè ſibi vetitum putavit diverſum à Præceptore ſentire, adeóque quo jure in alios Ariſtoteles, hic in Ariſtotelem uſus eſt. Si quid Præceptor falſum,

aut

aut rerum naturæ contrarium docuisset, correxit: si quid prætermissum, supplevit. Etenim verissimè putavit, solis naturæ legibus, non Præceptoris opinionibus, mentis suæ contemplationes obstringi. Hunc prædecessorem, Aristotelis ac Theophrasti in philosophando libertatem, amplexatus atque sequutus est tertius in schola Peripatetica, Strato Lampsacenus, qui, quod tam strenuè in natura contemplanda operam suam locaret, Physici nomen est adeptus. Et quamvis horum tramitem sequioris ævi pauci admodùm sint ingressi, usque adeò ut tandem veritas ceu altera Astræa terras reliquisse visa fuerit, nova tamen tandem postliminiò nostro sæculo lux affulsit, quâ genuina ista philosophandi libertas densissimis istis tenebris huc illuc radios suos spargere cœpit.

Huic autem rei inter cæteros, quos nominare nihil refert, imprimis operam navavit Vir nobilissimus Renatus des-Cartes, acutissimi ingenii Philosophus, qui tantisper moderari ac cohibere nos mentis assensum ab iis in rebus Philosophicis voluit, de quorum veritate non certò constat; & mentem nostram ab omnibus præjudiciis omninò liberandam esse, turpissimúmq; servitutis jugum esse deponendum diligenter exhortatus est; quò ità tandem postliminiò inæstimabilem illam philosophandi libertatem restauraret. Verùm, quid factum? Institutũ hoc Cartesii multis mirum in modum placuit, imprimis quia vulgarem illam Philosophiam, jam in Scholis ferè receptam, non solùm ineptissimis quæstionibus scatere

videbant, verùm etiam quod omnia ibi perplexis admodùm distinctionibus & sophisticis argutandi modis, quibus omnia quotlibeticè pro & contrà facilè quoad speciem saltem defendi posse videbantur, involuta jacebant: Ipse verò omnia magis intelligibiliter modo mathematico, & mechanicè explicare aggressus est. Unde quoque varii liberioris genii Philosophi jam dudum intolerabile illud servitutis Aristotelicæ jugum perosi, ejusque nausea ducti eousque nova hac Cartesii docendi methodo pellecti sunt, ut universo Aristotele relicto toti Cartesiani facti sint. Nempe, ignobili Peripateticorum jugo abdicato, Cartesii assumpserunt, illudque haud minùs propudiosum sibi ferendum æquum arbitrati sunt; Atque ità è fossa, quod ajunt, in foveam inciderunt. Verùm enim verò quandò usque adeò aliorum hi servi esse volunt, & alienarum opinionum mancipia, ut ne latum quidem unguem ab eo ejusve placitis sibi recedendum esse putent; quare tandem Aristotelem deseruerunt? Nonne, quia homo fuit, & errare potuit, & erravit sæpissimè? At verò & Cartesius homo fuit, neque proinde & errare ab eo alienum. Ne ergò cæcorum instar naso nos duci pateremur, aut ùnius jugo excusso alterius implicemur imprudentes, unde tandem nos expedire nequeamus, id nunc aggredior, ut & Cartesium hominem fuisse ostendam; adeòque non minùs quàm Aristotelem aliosque erroribus obnoxium.

noxium. Fuerit profectò Aristoteles vir omni laude major & authoritate potens, fuerit & Cartesius libertatis in Philosophando acerrimus vindex & assertor, nunquam tamen id confeceris, ut extra errandi sphæram constitutus sit. Sequamur ergò nos non ut Dominos, sed ut Duces & Aristotelem & Cartesium, omnesque alios, quotquot sunt veritatis verè studiosi, sed usque ad aras. Ut enim Aristoteles veritatem omnibus amicis præferendam, ità & nos cùm Cartesio veritatem unicam in Philosophiæ solio omnibus postabitis collocandam censemus. Cùm itaque gravissimos in ipso Philosophiæ Cartesii limine offenderem errores, eosdem pro officio nostro Philosophiæ studiosis in Athenæo nostro Auriaco proponere visum fuit. Sicut enim ex falsis quibusdam suppositionibus tam enormes in Veterum Philosophia errores exorti sunt, ità quoque haud minùs verendum, ut ex falsis quibusdam Cartesii principiis, si pro veris habeantur, non minùs graves, quibus tenerrima multorum ingenia imbuantur, errores proveniant. Etenim si prima rerum naturalium principia ignorentur, toto naturalium rerum inquisitionis processu hallucineris necesse est. Et qui error parvus initio putatur fortè, in fine maximus evadit, cum semel quod falsum est admisso, necessaria deducaris consequutione in labyrinthos plexusque errorum, unde pedem sequelæ necessitate ductum referre amplius non licet, etsi vel ratio contra-

trarium ſuadet, vel experientia demonſtrat. Inter errores Carteſij haud minimus nobis videtur vel ipſius corporis conceptus, dum eo nihil aliud ſignificari paſſim contendit, quàm ſimpliciter & in genere extenſum quid, ità ut quicquid ullo modo à nobis ut extenſum concipitur, illicò ſit corpus. Ex hac unica vel falſa hypotheſi mirum, quot ſtatim errores tanquam fonte ſcaturiant. Cùm enim ipſi extenſum eſſe nihil aliud ſit, quàm non contineri puncto aliquo indiviſibili, & extra illud diffuſum eſſe; hinc mox deductum, nullam qualitatem ſenſibilem, quam patibilem vocant alii, nullum colorem, ſaporem, odorem, aut aliquid tale ad ipſius eſſentiam pertinere, & conſequenter ſine iis eſſe poſſe; ità ut tandem corpus in nihilum evaneſcat. Deinde, quia nec locus aut ſpatium punctum eſt, mox quoque idem cum corpore eſſe haud vanâ conſequentiâ judicatum fuit; adeóque nec vacuum dari poſſe, ne quidem per abſolutam Dei potentiam, cùm contradictionem involvere putetur aliquid extenſum concipere, quod corpus aut materia non ſit. Hinc porrò Atomos non dari concluſum aut particulas indiviſibiles, & Mundum eſſe infinitum ſeu indefinitum, cùm extra illius terminos, quicunque concipiantur, nihil aliud quàm extenſum quid concipi queat; hoc verò eſſe corpus, ejuſque conceptu includi; Quin imò ne, plures quidem à Deo Mundos condi poſſe, aut aliam materiam, &c. Hi nobis in ipſo Philoſophiæ limine errores

rores

rores usque adeò graves visi sunt, ut iis quamprimùm, ne latiùs malum serpat, & nobis pro viribus prospiciendum esse judicaverim. Equidem benè fecit Cartesius, laudóque hominis acutissimi cætera institutum, quod in scholis trivialibus vulgò receptam Philosophiam, quibus variis ineptissimisque distinctiunculis, à Scholasticis in eam introductis, innumerisque erroribus oppressa, miseréque dilaniata, & quasi sepulta jacebat veritas, tandem reformare quasi ab ovo aggressus sit; quodque pro jure libertatis Philosophicæ, occultis quibusdam Peripateticorum, atque inexplicabilibus principiis rejectis, alia quædam magis clara atque perspicua substituerit. At malè faciunt Cartesiani, quod usque adeò se suo ipsi astrinxerint Præceptori, ut vel quævis ipsius dicta oracula putent, & jam veritatem omninò puram ab ipso in Philosophiæ Remp. quasi è cœlo postliminiò reductam esse sibi suaviter imaginentur, & securi sint, in eo duntaxat solliciti, ut Cartesium rectè intelligant. Quid ergò tandem faciundum nobis fuit? Amici nobis sunto Socrates, Plato, Democritus, Empedocles, omnesque veteres Philosophi; Amicus & Aristoteles, ne ringantur Peripatetici; Amicus nobis esto & Cartesius præ multis, Amici omnes quam plurimùm Cartesiani, quamvis sectæ nomen odi, sed, ut dictum, usque ad aras. Veritatem enim sectamur, eamque non servili quadam subjectione in angusto alicujus hominis

cerebro, sed in amplissimo Naturæ libro nobis à Deo propositam, adeóque & ibidem sedulò & pura mente indagandam arbitramur. Alioquin, si posterioribus hisce Philosophis ità addicti essemus, ut sicut cum illis, ità adversus eos sentire non liceat, in idem laberemur vitium, quod jam carpimus in aliis, qui dum se alterius authoritati manciparunt, viam sibi ad solidioris Philosophiæ penetralia præclusere. Hac ergò ratione pro libertate nostra Philosophantes ut Aristotelis, ità & Cartesii intolerabile jugum intrepido animo rejicientes, hoc nostro examine id solùm spectavimus, ut veritas ubique sarta ac tecta conservetur, utque quantum fieri potuit, illibata atque pura prodiret. Neque proinde est, quod excandescat nobis quispiam plus æquo fortè addictus Cartesio; Si enim in ipso quædam meritò notamus errata, est quod nobis gratias agat, quod ipsum errantem revocemus; si immeritò, inde saltem & hoc lucri percipiet, ut rationibus nostris diligenter perpensis magis in veritate confirmetur. Sicut enim contraria juxta se posita magis elucescunt, & virtus sine adversario marcescit; ità & veritas inter disputantium argumenta modestè proposita luculentiores sui radios in animis sui studiosorum exhibet. Nulla ergò uspiam offensionis justæ apparet ratio. Insuper, si quispiam validis rationibus & modestè hæc nostra refutaverit, tùm demùm meam inscitiam agnoscens, me ipsi majorem

in

in modum devinctum fatebor, qui nebulas mihi mente excusserit, & veritatem manifestam reddiderit. Neque enim unquam veritatis perceptione mihi quicquam gratius aut jucundius esse potest. Et quantumvis recentioris ævi Philosophi, ulteriùs, quod lubens, ut verissimum fateor, quam Veteres in veritatis indagatione processerint; plurimum tamen ut isti, ità & hi itineris posteris reliquerunt, & nos relinquemus. Cuivis itaque non modò licitum & apertum, verùm & pium ac sanctum, in veritatis examine, quæ sentit, aperire. Estque utilis & fructuosa omnis controversia, quam doctos inter cordatosque viros veri studium excitat. Si quid melius aut rectius, quam præcedentes inveni, alii recipiant; sicubi à scopo aberravi, judicent; & quam ipsemet de aliis, tam liberè de me alii sentiant ac dissentiant. Neque enim tam iniquus unquam sim judex, ut quam in aliorum scripta mihi potestatem vendico, eandem in mea aliis adimam. Hoc solùm peto, ut liberè mihi recedere liceat à Cartesio, ubi ipsius dicta veritati haud satis consentanea fuisse percepero, quemadmodùm & contra me eadem amplexurum sanctè recipio, quotiescunque veritatem iis contineri intellexero. Si quoque nonnullis per fas & nefas Cartesium defendere visum fuerit, quos nullis unquam rationum machinis dimoveas, nullis errorum monstris deterreas, nostráque hæc irridere potiùs quam refutare,

 quod

quod ſtultorum eſt, inſtituat, fruantur iſti ſuo judicio & moribus. Nos, qui & deriſorum atque blateronum cavilla deridere valemus, ſolidas duntaxat ingenuè Philoſophantium rationes exſpectamus & æſtimamus.



Viro

Viro Clarissimo

D.D. JOHANNI SCHULERO,

L. A. M. Philosophiæ Doctori ac Professori Publico, Collegæ venerando,

Examen Philosophiæ De-Cartianæ,

Pro libertate Philosophandi singulis concessa, pereruditè concinnanti.

Quicquid Aristoteles, *magnique egére* Platones,
Id pretio, & laudis perstat honore suo:
Quicquid Aristoteles *cæca ratione subactus*,
Nunc se, nunc alios credere sponte velit;
Non ita conveniens color est, neque luctibus illis
Gaudebit, veri quem rapit altus amor:
Hic pretium virtutis abest, arsque arte negatur,
Non micat, haud verâ quod ratione micat;
Qui modò sidereos genio conscenderet axes,
Cui sua De-Cartus *fata stupenda dabat;*
Deficit hic virtute sua, quasi curtus oberrans,
Nec sibi nunc veri regula Cartus *erit.*
Quis mihi Epimenidem, Periandrum *obtrudat, & ausus*
Dicat Anaxagoræ, *Permenidemque vehat?*
Quis Sextum, Ammonium, Amelium, *doctamque Chilonem?*
Quilibet à sola se ratione beet,
Cedite Aristoteli *dubium si obtruditis; illi*
Credite, si veri gloria facta probet.
Cedite De-Carto *falsum si obtruditis; illi*
Credite, si veri nomina pandat ovans.
Credite (sic justum est) magno ratione Schulero,
Nec reliquis facti gloria facta minor.
Vicerit invictâ qui se ratione tuetur,
Is cadat à victâ qui ratione cadit.

FRANCISCUS PLANTE,
Pastor ac Professor Bredæ.

D. JOHANNI SCHULERO, L. A. M. Summo Philosopho, & Theologo eximio, &c.

HÆc est Schuleri *Numen* meditantis imago,
  Quo minimum summo distet ab *Ente* nihil.
Cedite Cartesii, chartisque valete Sophistæ;
  Numque *renascentem* Suecia terra dabit?

Scribebam Bredæ
αὐτοσχεδιαστὶ

W. QUIRINUS RUITENBURG.

IN EUNDEM.

HUmanum est errare; nec omnia possumus omnes,
  Et rectum non est, quod ratione caret.
Eclipsin Sol ipse subit; quodcunque creatum est,
  Deficit in multis; perficit omne Dies.
Candida posteritas errores corrigit omnes,
  Et semper melius, quod fuit ante, videt.
Fulget *Aristoteles*, fulget *Cartesius*, ævi
  Et decus, & magnum lumen uterque sui;
Principiis stat quisque suis; diversa loquuntur;
  Scriptis hic doctis quod negat, alter ait.
Tu, qui vel cæcus juras in verba Magistri,
  Et sinis incautus te bovis instar agi,
Adspice, quas habuit labyrinthos Græca vetustas,
  Et quibus in scopulis Gallia blanda perit;
Schulerus tibi monstrat iter, poscitque sequaces
  Non alios, quam quos mox ratione trahet.
Surgat *Aristoteles*, surgat *Cartesius*; ambo
  Debebunt veri subdere colla jugo.
Ingenium mirare Viri, mirare laborem,
  Qui medium Felix inter utrumque tenet.

J. van BERGEN. JCtus.

INDEX CAPITUM,

Quæ hoc Examine continentur.

CAPUT		Pag.
I.	*De existentia corporis non esse dubitandum ostenditur.*	1
II.	*Unde cognoscatur Corporis nostri existentia, ejusque cum mente nostra unio.*	3
III.	*Quid sensuum perceptiones doceant.*	5
IV.	*De natura, seu essentia corporis in genere.*	8
V.	*De Rarefactione, & Condensatione.*	12
VI.	*Inquiritur, utrum Quantitas corporea reipsa à corpore distinguatur.*	15
Appendix ad CAPUT VI.	*Qua discutiuntur ea, quæ D. Claubergius de essentia seu natura Corporis in communi differit.*	20
VII.	*An Spatium sive Locus in re à materia non differat.*	24
VIII.	*Natura sive Quidditas Loci explicatur.*	29
IX.	*De Differentia inter Spatium & Locum, ejusque distinctione in internum & externum.*	32
X.	*Ostenditur non repugnare dari Vacuum.*	36
XI.	*Rarefactionem non rectè à Cartesio confirmari ostenditur, & qualis admitti possit.*	42
XII.	*Atomorum existentia demonstratur.*	44
XIII.	*Mundum non esse indefinitè extensum contra Cartesium probatur.*	48
XIV.	*An eadem sit Cœli, ac Terræ totiusque Mundi materia.*	50
XV.	*Utrum præter motum Localem nullus alius detur in rerum natura.*	54
XVI.	*Definitio Cartesii paulò pressius examinatur.*	56
XVII.	*An omnis motus fiat per circulum.*	63
XVIII.	*De Causa prima motus.*	67

XIX.

INDEX CAPITUM.

XIX.	*Utrum nunc tantundem sit motus in rerum natura, ac fuit in principio.*	70
XX.	*An, quod movetur, semper naturâ suâ moveri pergat.*	73
XXI.	*An omnis motus ex se tendat per lineas rectas.*	76
XXII.	*Ostenditur motum fieri in instanti.*	81
XXIII.	*Inquiritur quare Lapis, è funda projectus, moveatur per lineam rectam.*	82
XXIV.	*Quomodò motus mobili communicetur.*	84
XXV.	*Vis agendi & resistendi corporum in quo consistat.*	88
XXVI.	*Motus celeritas & tarditas quid sit disquiritur & explicatur.*	91
XXVII.	*Durities & fluiditas corporis, quid sint explicatur.*	93
XXVIII.	*Ulterius ostenditur fluiditatem non consistere in motu particularum.*	96
XXIX.	*De externa corporum naturalium figura.*	99

ERRATA.

Numerus prior paginam, posterior lineam significat.

4. 2. *lege*, ipsam. *ibid.* 3. conjunctam. *ibid.* 11. ambulet. *ibid.* 18. licet *lege*, libet. 10. 37. *lege*, Latiori. 21. 19. *l.* quod etiam. *ibid.* 23. *pro* est *l.* &c. 25. 34. quia, *adde*, secundum Cartesium. 34. 6. Longitudinem, *adde*, Latitudinem. 40. 28. *l.* dicitur. *ib. l.* παρὰ τὸ 44. 4. *l.* pendet. 54. 33 & 34. *l.* disjunctæ. 55. 23. *l.* compositi. 56. 1. *l.* localis. *ibid.* 19. figura. *l.* natura. 60. 15. *l.* subsistebat. 61. 15. *l.* ut supra. 64. 26. *l.* constant. 67. 23. *l.* queant. 75. 8. non, *adde*, sit. 84. 7. *l.* tradatur. 86. 29. nequeant. *l.* queant. 87. 26. *l.* uniuscujusque. 88. 5. *l.* suspicarer.

EX-

EXAMINIS PHILOSOPHIÆ RENATI DES-CARTES SPECIMEN,

SIVE

Brevis & perſpicua Principiorum Philoſophiæ Carteſianæ Refutatio.

CAPUT I.

De Exiſtentia corporis non eſſe dubitandum oſtenditur.



Oſtquam Renatus Carteſius, acutiſſimi ingenii Philoſophus, primâ Principiorum Philoſophiæ parte Metaphyſica quædam de cognitione humanâ principia tradidiſſet, cauſaſque errorum aliquot haud malè aperuiſſet; Et imprimis ad ſeriò Philoſophandum omnia mentis præjudicia deponenda eſſet exhortatus, nihilque admittendum quod non clarè diſtinctéque à nobis eſſet perceptum, tandem ad partem ſuæ Philoſophiæ ſecundam accedit. Cùm autem hac imprimis parte de rerum materialium principiis diſſerat, eam duntaxat, impræſentiarum paulò diligentius examinare viſum fuit. Quod dum facimus, viam jam nobis ab ipſo Carteſio præmonſtratam ingreſſuri, ipſiuſque veſtigiis inſiſtentes omnibus præjudiciis abdicatis, nihil admiſſuri ſumus, quod non poſt attentam meditationem tanquam veritati maximè conſentaneum à nobis fuerit apprehenſum.

Et quidem primò ſic exorditur: *Etſi nemo non ſibi ſatis perſuadeat, res materiales exiſtere, quia tamen hoc à nobis paulò ante in dubium revocatum eſt, & inter prima noſtræ ætatis præjudicia numeratum, nunc opus eſt, ut rationes inveſtigemus, per quas id certò cognoſcatur. Nempe quicquid ſentimus, procul dubio nobis advenit à re aliqua, quæ à mente noſtra diverſa eſt. Neque enim eſt in noſtra poteſtate efficere, ut unum potius quam aliud ſentiamus; ſed hoc à re illa, quæ ſenſus noſtros afficit, planè pendet.* Nempe ex ſenſus teſtimonio materialium rerum exiſtentiam concludit Carteſius. At verò, quis niſi amens in dubium revocaverit unquam, utrum ſit vel exiſtat id, quod ſenſu externo percipit, ſive ſentit? Et quis præjudicium

vocet, putare res materiales aut corpora exiſtere in rerum natura? Dubitari fortè poſſet, utrum id, quod ſenſu percipitur, aut ſentitur, tale ſit, quale externo ſenſui apparet; utrum verò ſit ſimpliciter, ab eo, cui modò ſanum eſt cerebrum, dubitari omninò non poteſt. Cùm ergò ad rectè Philoſophandum imprimis Mens ſeu ratio requiratur ſana in corpore ſano, & judicium incorruptum, utique illi, qui de rerum ſenſu perceptarum exiſtentia aut eſſe feriò dubitet, ad Philoſophandum ut ſe accingat, haud author ſim: ſiquidem ipſum vel mente vel cerebro ſano deſtitutum eſſe cenſeam. Imprimis ergò de corpore naturali Philoſophantem illius exiſtentiam præſupponere, abſque ulteriori demonſtratione, neceſſe eſt. Ecquis enim benè ſanus naturam ejus inveſtiget, de cujus exiſtentia nondum certus eſt?

Sed quoniam uſque adeò dubitationibus indulget Carteſius, unde tandem certus eſt, id quod ſentimus, nobis advenire ab re aliqua à mente noſtra diverſa? Nonne experimento conſtat homines, pede vel bracchio privatos, in iiſdem tamen membris dolorem ſentire ſe eſſe conqueſtos? Quis ergò nobis perſuaſerit, id quod nos ſentire judicamus, nos verè ſentire, cùm aliquandò ſentire ſe putent homines, licet malè affecti, ea quæ non ſunt? Deinde, quid ſi Angelum aliquem aut Dæmonem fingamus, qui homines plagis afficiat, aut vim corporibus inferat, quod de Jobo & Paulo ſacris literis manifeſtum eſt? Prætereà, & de eo inſtitui dubitatio poſſet, utrum non ſit aliquandò in poteſtate noſtra efficere, ut unum potius quam aliud ſentiamus, illudque prorſus dependere ab re illa, quæ ſenſus noſtros afficit? Ecce enim dum vitrum hoc rubrum aut viride ob oculos pono, omnia mihi rubra aut viridia videntur corpora. Et cùm corporum apparentia ſæpiſſimè ex diverſo illorum aſpectu atque ſitu, quæ in noſtra poteſtate ſunt, dependeat; ecquis unum potiùs, quam aliud ſentire planè à rebus ipſis dependere ſibi abſque omni prorſus ſcrupulo perſuadeat? Quæ de Materia porrò tradit, quod eam percipiamus eſſe rem extenſam in longum, latum & profundum, &c. poſteà videbimus.

Sed neque hoc adeò evidens eſt, quod ſubjicit: *Si Deus immediatè per ſe-ipſum iſtius materiæ extenſæ ideam menti noſtræ exhiberet, vel tantùm ſi efficeret, ut exhiberetur à re aliqua, in qua nihil eſſet extenſionis, nec figuræ, nec motus; nulla ratio poteſt excogitari, cur non deceptor eſſet putandus?* Itane tandem nos terreſtres vermiculi tremendæ Majeſtatis Deum abſolutum omnium Dominum, atque Creatorem deceptorem faciemus, ſi rem alio nobis modo proponat, ac quidem ratiunculâ noſtrâ ipſum proponere debere exiſtimamus? Mirum ni quòque denunciet Carteſius, ne

Deus

Deus se-ipsum, cùm sit Ens omnis prorsus materiæ expers, sub corporea aliqua specie aut idea extensa mortalium oculis manifestet, ne Deceptor habeatur. Neque enim video, quò minus ipsi rem immaterialem sub idea materiali, quam materialem sub immateriali idea menti nostræ exhibere fas sit. Et quoties Deus sive immediatè per se, sive mediatè per Angelos ideam rei corporeæ & extensæ Prophetis suis in somnio, visione, vel ecstasi exhibuit? Quoties se-ipsum sub specie aliqua visibili & extensa Prophetis, virisque θεοπνεύστοις revelavit? Non ergò hoc adeò evidens est, ut putat Cartesius, ideam rei extensæ non exhiberi posse ab aliqua re, in qua nihil sit extensionis, nec figuræ, nec motus. Et non absque blasphemia dicitur, Deum, si hoc fecerit, deceptorem fore aut putandum esse. Insuper, omni præjudicio sublato, unde quæso constat, deceptorem esse, qui rem non extensam aut immaterialem, ut extensam, aut sub idea rei extensæ homini proponit? Quod quidem imprimis quæri posset, si eo fine hoc ipsum fieri constet, ut per sensibilia ad insensibilia mens humana erigatur. Et si omninò hoc jam verum esse putemus, ubi aut quo argumento hoc à Cartesio probatum est? Nihil enim nisi clarè & distinctè perceptum se amplexurum anteà fuit professus. Viderint jam Cartesiani, quomodò ex hisce concludendum pateat *rem quandam extensam in longum, latum & profundum, omnesque illas proprietates, quas rei extensæ convenire clarè percipimus, habentem existere.* Nos etiam absque iis corporum seu rerum materialium existentiam, propter ea quæ suprà dicta sunt, constare, neque tanto hîc nobis apparatu opus esse arbitramur; ne rei sua luce claræ & perspicuæ dubitationum nostrarum nebulis tenebras offundamus. Deum quoque omnis Luminis Patrem & fontem hoc mentibus nostris lumen, vimque intelligendi indidisse, qua hanc veritatem absque ulteriori demonstratione agnoscamus, libenter fatemur.

Caput II.

Unde cognoscatur Corporis nostri existentia, ejusque cum mente nostra unio.

Pergit Cartesius, §. 11. *Eâdem*, inquit, *ratione menti nostræ corpus quoddam magis arctè, quam reliqua alia corpora conjunctum esse, concludi potest; ex eo quod perspicuè advertamus, dolores, aliosque sensus nobis ex improviso advenire; quos mens est conscia non à se sola proficisci, nec ad se posse pertinere ex eo solo quod sit res cogitans, sed tantùm ex eo, quod alteri cuidam rei extensæ ac mobili adjuncta sit, quæ res humanum*

corpus appellatur. Mentis nostræ existentiam hoc loco præsupponentes, ejusque à corpore distinctionem, similiter & ipsum, dum hîc vivimus, corpori humano conjunctum esse novimus. Quod ipsum usque adeò verum est, ut plurimi, vix aut parùm de Mente solliciti, se nihil aliud quam corpus habere organicum existiment; ità ut non tam de corporis, quam quidem de Animæ aut mentis existentia in ipsis demonstranda, laborandum videatur. Ipsum proinde, qui corporis sui existentiam neget, aut in dubium seriò traxerit, sanè unquam Philosophaturum non putem. Neque enim ulla hîc vel negationis vel dubitationis ratio excogitari potest. Quis enim benè sanus, cum loquitur, ambulat, videt, audit, &c. utrum loquatur, ambulat, videat, audiat, &c. dubitaverit unquam? Somniantes quidem sibi loqui, ambulare, videre, audire, videntur; at verò quis somniantes rectè Philosophari aut Philosophiæ capaces judicet? Certè nisi & somniantes Philosophos admittamus, eorum, quæ sani & vigilantes sensu percipimus, existentia, ut sensibilium, ità & corporis nostri, quod circum gerimus, omninò absque ulteriori demonstratione supponenda nobis videtur.

Sed, si & hîc ludendo dubitare velimus, quærere nunc licet, qua ratione sensus corporis ostendat arctam istam mentem inter & corpus unionem? Angelos aliquando corpora assumpsisse, inque iis hominibus apparuisse S. Literis notissimum est. Ad sentiendum itaque procul omni dubio sensuum organa adhibuere, oculis viderunt, auribus audiverunt, pedibus ambularunt, Lingua locuti sunt. Ecquis autem exinde tam arctam Angelos inter & corpora assumpta unionem fuisse concludat, qualem inter mentes & corpora humana esse novimus? Quod si ex dolore corporis istam unionem, quam hypostaticam vocant, concludi posse dixeris, nondum tamen sic omnem prorsus scrupulum abstuleris. Nam primò, non in corpore, sed in mente propriè dolorem esse suspicari possemus, quia corpus mentis expers dolorem non sentit. Cùm ergò corpus baculo percussum dolorem sentiat, licet vestibus indutum & coöpertum sit; quare non & anima corpore quasi veste induta, vel coöperta dolorem per corpus sentire posset? Sicut ergò nemo ex eo, quod dolorem per vestem sentiat corpus, eam corpori essentialiter aut hypostaticè unitam esse colligat, ità neque ex dolore corporę percepto satis evidenter, illud animæ sive menti essentialiter unitum esse, concludi posse videtur. Sed & hoc scire velim, qua ratione demonstret Cartesius mentem non posse percipere dolorem in alieno corpore, cum quo essentialiter unita non est, modò ipsum penetret, inque eodem cum illo loco constituatur. Deni-

que

que, si dolor ejusve sensus unicum argumentum sit, ex quo de conjunctione corporis mens nostra certa sit, utique dubitare licet de ejusmodi membris, quibus dolorem non percipimus. Vel, si partes nonnullæ in corpore reperiantur, quæ dolorem non sentiunt, utique nulla ratio amplius evicerit, quò minùs totum corpus absque doloris sensu esse queat, & tamen menti nostræ unitum. Quomodò ergò ex dolore menti nostræ corpus unitum esse usque adeò clarè & distinctè advertimus? Nisi fortè tam diu assensum istum cohibendum esse putemus, donec prius dolorem aliquem in corpore mens nostra perceperit. Hæc ergò in gratiam dubitationis Cartesianæ dicta sunto. Nos mentem nostram suprà explicuimus.

Caput. III.

Quid sensuum perceptiones doceant.

Cùm multa de actione mentis sive Spiritus in corpus consideranda veniant, eáque alterius disciplinæ esse videantur, rectè istius rei explicationem hujus loci non esse dixit Cartesius. Sed quid ergò hujus loci esse vult? *Satis erit*, inquit, *si advertamus, sensuum perceptiones non referri, nisi ad istam corporis humani cum mente conjunctionem, & nobis quidem ordinariè exhibere, quid ad illam externa corpora prodesse possint, aut nocere; non autem, nisi interdum & ex accidenti, nos docere, qualia in se ipsis existant.* At verò non quæritur, ad quid sensuum perceptiones referri soleant, sed quid reverà doceant. Et quoties, qui ne semel quidem de mente, ejusve cum corpore conjunctione, cogitant, perceptiones tamen suas ad sensus externos referre solent? Sed neque hoc adeò certum est, sensuum perceptiones nobis ordinariè exhibere, quid ad illam externa corpora prodesse possint, aut nocere. Ecquid enim omnium corporum quæ sensu à nobis percipiuntur, colores, odores, aut sapores nobis prosint aut noceant? Quod autem Cartesius verbo hoc loco innuere videtur, sensuum perceptiones nobis non exhibere, qualia corpora in se existant, nisi interdum ex accidenti, majoris est momenti & difficultatis, adeóque paulò accuratiùs hîc expendendum est.

Primò itaque notandum est, duorum imprimis generum in rebus qualitates considerari posse. Prioris generis voco, quæ sensu aliquo externo percipiuntur, ut: colores, odores, sapores &c. quæ propterea *qualitates sensibiles* dicuntur, aliis *patibiles*, quod passionem in sensu efficiant. Posterioris generis sunt, quæ non sensu externo, sed ratione & ex effectis re-

bus inesse colliguntur, ut: virtus calefactiva in Sole, Vino; attractiva in Magnete, Succino; Purgativa in Rhabarbaro, Agarico; nutritiva in in cibo, pane; quas propterea *intelligibiles qualitates* appellare possumus, quod intellectu & ratione ex effectis rebus inesse eas deprehendamus.

Hisce positis, dico sensu externo nullas alias à nobis posse percipi qualitates, quam sensibiles. Intelligibiles enim sola mente ac ratione percipiuntur, & sensus nequaquam afficere possunt. Cùm verò, quicquid recipitur ad modum recipientis recipiatur, temperamentáque admodum sint diversa; utique haud-mirum, quod una eademque qualitas, ratione diversorum recipientium, diversimodè quoque recipiatur. Et hinc est, quod mellis sapor uni gratus sit, alteri ingratus, isti dulcis, huic amarus appareat. Neque etiam credibile est vinum eodem modo homines ei deditos afficere, & abstemios; aut aquam adeò frigidam esse piscibus, ut quidem nos eam esse judicamus; Vel denique ignem usque adeò calidum esse ratione eorum animalculorum, quæ, teste Galeno, in mediis flammis gignuntur & vivunt, ut nos illum sensu percipimus. Unde constat, qualitates hujusmodi non nisi relativè rebus attribui posse, & ratione eorum subjectorum, à quibus recipiuntur. Neque enim aquam frigidam dicimus ratione ferri aut lapidis, sed ratione subjecti frigus sentientis; & ità de cæteris. Similiter & de qualitatibus intelligibilibus Philosophandum arbitror. Pani enim & cibo nutriendi vim adscribimus ratione animalium, non absolutè, neque enim Lapides pane nutriuntur aut herbæ, sed animalia, ut constat: Magneti vim attrahendi attribuimus non absolutè, sed ratione ferri tantùm, neque enim alia ab ipso corpora attrahi hactenus compertum est: Igni vis comburendi attribuitur ratione combustibilium corporum, neque enim metalla aut lapides ab ipso comburuntur: Soli denique calefactiva virtus adscribitur ratione terræ, neque enim Cœlum ab ipso calefieri, aut astra credibile est.

Ex quibus jam satis evidenter constare arbitror, ex sensuum perceptione nihil aliud colligi posse, quam qualiter aut quomodò se res corporeæ habeant *ad sensus humanos*, eosve *communiter* afficere soleant. Dico, *ad sensus humanos*, quia neque hoc certum esse videtur, quod eodem modo iis bruta afficiantur, quam homines propter temperamenti diversitatem. Vino delectantur homines plerique, multisque potionum & ciborum generibus, ut & odoribus variis, quibus tamen bruta, aves & pisces eodem modo affici non est credibile. Et si omninò animalia quædam propter sensuum vel organorum similitudinem similes quoque vel

quam

quam proximè qualitates in iis percipere concederemus, inanimata tamen nequaquam iis affici manifestum est. Addidi *communiter*, quia & hîc exceptio adhibenda videtur, cùm haud pauci quoque reperiantur homines, quos longè alio modo ab iisdem objectis affici constat. Jam enim suprà de vino notatum est, quod alio modo gulosos, alio abstemios afficiat; si utique hi eundem in ipso saporem adverterent, nunquid eos abstemios fuisse putemus? Sunt, qui caseo delectantur, gratissimumque in eo saporem percipiunt, alios tamen ipsum odisse & maximè aversari novimus. Alii rosarum aut liliorum odore recreantur, alii verò eum ferre non possunt. Quid? quod idem vinum, idem cibus nunc gratum præbeat saporem, putà famelico & sano; nunc verò ingratum, putà saturato & ægro. Omitto jam, eandem rem procul constitutam videri parvam, rotundam, compactam; propè autem magnam, quadratam, solutam; & intra aquam majorem & propiorem, quam in aëre; atque ità de cæteris.

Concludimus ergò, ut suprà, Sensus nihil aliud nos edocere posse, quam quomodò sese res sensibiles ratione nostri habeant. Quia itaque sæpissimè nos propter hanc sensus apparentiam hallucinari contingit, ut falsum pro vero amplectamur; equidem haud malè nos facturos existimem, si, sensuum præjudiciis abdicatis, ad ea duntaxat attendamus, quæ ratio vera esse judicaverit. Non ergò idcirco aliquid esse verum judicabimus, quia ita sensibus apparet; sed quia ratione sensum circa objectum suum nequaquam errare percepimus. Exemplo rem illustro: Visu in cœlo percipimus Solem, lunam, stellas, &c. Secundum hanc perceptionem sensus Stellæ corpora sunt minima ratione quantitatis, Luna & Sol æqualis ferè magnitudinis esse videntur. At verò, quia, jam longa ratione edocti, novimus hæc corpora admodum à nobis esse remota, neque in æquali distantia constituta, hinc ex visu externo vel sensuali apparentia de vera eorum magnitudine certò judicari non posse intelligimus. Judicium ergò tantisper cohibendum, donec omnibus expensis rationibus, id quod ex iis certò sequitur clarè & distinctè percipiamus. At verò nihilne hîc sensus facit? Imò, plurimum. Visu enim illa corpora in rerum natura existere, esse Luminosa, variare suum situm, tum inter se, tum ratione nostri, percipimus. Sensus ergò à Philosophis non omninò rejiciendos, sed iis rectè utendum, & absque ratione haud confidendum esse constat.

CAPUT

CAPUT. IV.

De natura, seu essentia corporis in genere.

HAc ergò Methodo progredientes jam ad ipsius Corporis in genere spectati naturam cognoscendam ejusque genuinum conceptum formandum, cum Cartesio nos accingamus. Sed ipsum disserentem audiamus: *Quod agentes*, inquit, *percipiemus naturam materiæ sive corporis in universum spectati, non consistere in eo quod sit res dura, vel ponderosa, vel colorata, vel alio aliquo modo sensus afficiens; sed tantum in eo, quod sit res extensa in longum, latum, & profundum. Nam quantum ad duritiem, nihil aliud de illa sensus nobis indicat, quam partes durorum corporum resistere motui manuum nostrarum, cùm in illas incurrunt. Si enim quotiescunque manus nostræ versus aliquam partem moventur, corpora omnia ibi existentia recederent eadem celeritate, qua illæ accedunt, nullam unquam duritiem sentiremus. Nec ullo modo potest intelligi, corpora quæ sic recederent idcircò naturam corporis esse amissura, nec proinde ipsa in duritie consistit. Eademque ratione ostendi potest, & pondus, & calorem, & alias omnes ejusmodi qualitates, quæ in materia corporea sentiuntur, ex ea tolli posse, ipsa integra remanente: Unde sequitur, à nulla ex illis ejus naturam dependere.* Ad verum Corporis conceptum formandum, fateor non esse attendendum, quid in hoc vel illo corpore sentiamus; sed quid omni corpori sit commune, & tamen ità proprium, ut per illud ab omni non corpore essentialiter distinguatur; unde & definitio Logicis appellari solet, quæ constet genere & differentiâ.

Sed primò dubitari hîc posset, utrum tale quid à mente humana excogitando inveniri queat; siquidem ad veram & essentialem alicujus rei differentiam rectè cognoscendam requiritur, ut primò omnes alias res perfectè cognoscamus, qualis cognitio nemini quidem mortalium hactenus fuit concessa. Docet hoc ipsum luculenter Gassendus *Paradox. Lib.* II. *Exerc.* V. §. IV. *Ut igitur*, inquit, *alicujus rei differentiam perfectè noscamus, debemus perfectè nosse omnes alias res. Si aliquas enim ignoremus, aut minus benè cognoscamus, quomodò sciemus an, & per quid res proposita differat ab illis? Nonne fortassis ea, quæ nos latebunt ad convenientiam potius, quam ad differentiam facient? Dicere certè non possumus hanc esse hujus rei differentiam ab illa, nisi in illa cognoscamus aliquid non esse, quod reperiatur in hac. Quomodò verò cognoscimus non aliquid in illa, nisi omnes ipsius recessus etiam intimos evolverimus?* Ad quem tamen Gassendi discur-

diſcurſum reſponderi poſſet, cum quidem procedere contra perfectam & adæquatam naturæ alicujus individuæ aut ſpecificæ ſcientiam, quam, vel propter rationem dictam, ſoli Deo propriam arbitramur; non verò adverſus conceptum aliquem genericum, aut generalem aliquam rei definitionem, de qua hîc quæſtio eſt. Licet enim perfectè & adæquatè non cognoſcam, quid ſit hoc aut illud Ens in ſpecie vel individuo, hoc tamen non obſtat, quo minùs cognoſcam illud in genere, nempe eſſe Ens quoddam materiale, à Deo creatum, &c.

Ut ergò genericum hujuſmodi Corporis conceptum formemus, rectè docet Carteſius, illud non conſiſtere in eo quod ſit res dura, vel ponderoſa, vel colorata; Cùm enim dentur corpora mollia, durities illius eſſentiam explicare non poteſt; & cùm dentur dura, mollities illius eſſentiam conſtituere nequit; Et propter eandem rationem nec levitas, nec gravitas, nec albedo, nec nigredo, nec ulla determinata qualitas eſſentiam corporis conſtituit. At verò notandum hîc eſt, licet eſſentia corporis in genere ſpectati non conſiſtat in qualitate hac vel illa determinatè, haud tamen ex eo colligi poſſe in nulla conſiſtere, aut nullam prorſus ad eam requiri. Nam & eadem ratione quis arguere poſſet, nullam quantitatem ad corpus requiri quia ſine hac aut illa determinatè corpus exiſtere poteſt. Sicut igitur hæc cera, licet poſſit eſſe ſine hac vel illa figura, triangulari, quadrata, rotunda, &c. neceſſariò tamen ſemper aliquam habet; ità etiam corpus, licet poſſit eſſe abſque hac vel illa qualitate determinata, nunquam tamen prorſus ſine omni eſſe poteſt, quia ſemper manet res ſenſibilis; atqui id ipſum, per quod ſentitur, *Qualitas* dicitur.

Patet ergò falſum eſſe, quod Carteſius dicit, *Nihil eorum, quod ſenſum aliquo modo afficiat*, ad corporis naturam ſive eſſentiam pertinere. Licet enim non ſemper requiratur ad naturam corporis, ut omnes ſenſus afficiat, ſemper tamen aliquem ab eo affici debere certum eſt. Si enim ſenſum non afficeret, aut eo percipi poſſet, ſenſibile non eſſet, adeò que nec illius exiſtentia nobis cognoſcibilis. Quemadmodùm & ſuprà ex ſenſuali perceptione ab ipſo Carteſio rerum materialium exiſtentiam demonſtrari audivimus. Et reverà, cùm omne Ens ſit vel immateriale, vel materiale; Et verò immateriale ſenſu non percipiatur, ſed intellectu tantùm, quæ facultas immaterialis eſt: utique ſenſu, quæ facultas materialis eſt, vel nihil, vel Ens materiale ſeu corpus percipi, neceſſarium eſt. Sed nonne hîc ſibimet contradicit Carteſius, cùm, omni ſenſibili qualitate à corpore remota, in eo tantùm ejus naturam conſiſtere

dicit, *quod sit res extensa in longum, latum, & profundum*? Nunquid enim res extensa, & trina dimensione prædita, sensum non afficit? Vel unde, quæso, rem quampiam longam, aut latam, aut profundam putabimus, si vel visu vel tactu eam talem esse haud percipiamus?

Sed jam, utrum in trina hac dimensione Corporis essentia consistat, videamus. Et quidem primò quæri posset, utrum ad naturam materiæ sive corporis sufficiat esse rem extensam in longum tantùm, absque latitudine & profunditate? Si sic, jam dabitur corpus absque latitudine & profunditate; adeòque & nulla amplius erit ratio ob quam & corpus absque longitudine esse non possit. Si ergò ad corporis naturam requiri dixeris non tantùm longitudinem, verùm etiam latitudinem & profunditatem; iterum quæro: quid ergò sit res extensa in longitudinem simpliciter, quam lineam appellant Mathematici? An Ens immateriale, an materiale? Et cùm immateriale respondere nequeas, utique materiale dicas necesse est; adeòque falsò trinam illam dimensionem ad naturam corporis requiri perhibetur.

Deinde, si corporis essentia in triplici hac dimensione consistat, quæro utrum tres illæ dimensiones sint partes divisibiles corporis, & ab invicem separabiles, nec ne? Si divisibiles dicas, neque enim id negari potest, utique una pars erit extensa in latitudinem, altera in longitudinem, tertia in profunditatem. De singulis partibus (præterquam quod latitudo sine longitudine, nec profunditas sine utraque cogitari nequeat) quæstio jam dicta rediret. Si singulas partes iterum in tres similes partes dividi posse dicas, quæro an in infinitum similes divisiones institui & repeti queant? Si sic, dabuntur jam actu in singulis divisis particulis infinitæ partes, & infinita corpora, quorum singula erunt extensa in longum, latum & profundum. Cùmque & illa infinita corpora singula habeant similem trinam dimensionem, eadem quæstio iterum & iterum repeti posset; adeòque concedendus tandem erit numerus non semel tantùm, sed infinities infinitus. Quantò ergò rectiùs & veriùs, divisionibus crebrò repetitis tandem necessariò ad ultimam perveniri, adeòque & ad minimas particulas sive atomos, de quibus posteà, asseritur? Concessis verò Atomis ultrò corruit ille conceptus materiæ de trina dimensione, qualem certè in iis haud reperias.

Denique, in extensione Corporis præcisè & generatim sumpti essentiam non consistere ex eo constat, quod etiam spatio, loco, & tempori; imò & spiritibus quodammodò, saltem in lationi significatu, attribui possit, (neque enim spiritus, Angelos, & Animas rationales, in puncto indivi-

indivisibili existere facilè quisquam admiserit.) De loco autem & spatio res certa est. Ex. gr. Sumatur globus solidus & cavus aëre, aquâ sive alio quocunque corpore repletus, manifestum est cavitatem ipsam sive illud spatium globi internum in se extensum esse, licet nullum in eo corpus esse cogitemus. Et quidni Deus, manente globo, aërem vel aquam in ipso vel ex ipso tollere queat, si quispiam naturali virtute id fieri posse neget? Manet igitur idem spatium ab uno globi latere ad aliud extensum, licet non sit in illo corpus. Extensio ergò absque corpore concipi potest, adeòque nec in illa natura corporis sita est. Prætereà, cùm corpus spatium impleat, & locus sit æqualis locato, utique non minorem in spatio seu loco, ac in corpore seu locato extensionem esse manifestum est. Tandem sic arguo: Si hoc spatium vel hic locus potest esse absque hoc vel illo corpore, ergò etiam potest esse absque omni corpore, neque enim ab uno magis dependet, quam ab alio. Atqui verum prius, quia hoc corpus hunc locum potest relinquere, & occupare alium: Ergò. &c.

Si porrò quæras, quomodò materialis sive corporea hæc extensio, sive corporeïtas differat à natura seu ente immateriali; Respondeo, impenetrabilitate, qua fit, ut corpus unum alterius secum in eodem spatio existentiam impediat. Duos vel plures spiritus in eodem spatio esse nihil repugnat; possunt quoque iidem cum corpore esse coëxtensivè in eodem loco; quemadmodum Deum immensum, & ubique intimè præsentem esse, adeòque & omnium corporum spatia replere & sana ratio, & fides docent. *Jer.* XXIII. 24. Anima quoque rationalis, ex vulgari sententia, toti corpori humano coëxtensa putatur, quin & dæmones multos eidem corpori inesse haud impossibile judicatur. At verò, ut duo corpora simul in eodem sint loco impossibile arbitramur; neque hactenus proprietas magis essentialis, quâ ab omni alia extensione differat corpus seu materia corporea excogitari potuit.

Rejectâ itaque definitione Cartesii, aliam ei Corporis substituamus oportet. Nostro ergò judicio simpliciter & optimè *Corpus* definiri posset *Ens materiale*. Genus illius ponitur *Ens*, non *Substantia*, propter rationes alibi à me assignatas, *Metaph. Exerc.* VI. Ens enim duplex est immateriale & materiale; illud Spiritus est, hoc verò Corpus. Differentia verò, ut ajunt, determinativa, *materiale*; hoc enim ab omni non-corpore & Spiritu essentialiter distinguitur. *Materialitas* verò sensibilitatem & impenetrabilitatem includit. *Sensibilitas* facit, ut corpus sensu aliquo percipi queat; *Impenetrabilitas* verò coëxistentiam alterius corporis in eodem loco tollit.

Hac autem definitione veram Corporis in genere naturam, ejusve verum ac genuinum conceptum explicari ex eo constat; quia omnia alia Corporis attributa, quæcunque cogitari possunt, ab aliquo possunt abesse. Quod autem ab hoc aut illo corpore potest abesse, communem illius seu genericum & essentialem conceptum exprimere nequit. Quemadmodùm enim materia non potest pertinere ad communem Entis conceptum, quia datur Ens materiæ expers; ità quoque ad communem corporis conceptum non pertinet, quod ab aliquo abesse posse intelligimus. Et hinc percipitur nec hanc vel illam determinatam quantitatem sive figuram, putà triangularem, vel quadratam, vel rotundam, nec extensionem, nec divisibilitatem, nec determinatum colorem, albedinem aut nigredinem, nec calorem aut frigus, nec duritiem aut mollitiem, nec gravitatem aut levitatem, idve genus alia corporis conceptum aut essentiam ingredi posse; quia reperiuntur corpora, in quibus illa non inveniuntur, nec tamen propterea corpora esse desinunt. Cùm itaque Ens materiale, quod sensu aliquo perceptibile est, atque ratione alterius corporis impenetrabile, nullam determinatam qualitatem dicat, sitque quasi commune omnium qualitatum receptaculum, utique naturam seu essentiam Corporis in genere sic optimè explicari manifestum evadit.

Caput. V.

De Rarefactione & Condensatione.

Pergit Cartesius, duasque sibi objectiones proponi posse docet, quas proinde in sequentibus solvere conatur. Sic autem ipse procedit, §. v. *Duæ verò*, inquit, *adhuc causæ supersunt, ob quas potest dubitari, an vera natura corporis in sola extensione consistat. Vna est, quod multi existiment, pleraque corpora sic posse rarefieri ac condensari, ut rarefacta plus habeant extensionis quam condensata; Sintque etiam nonnulli adeò subtiles, ut substantiam corporis ab ejusdem quantitate, atque ipsam quantitatem ab extensione distinguant. Altera est, quod ubi nihil aliud esse intelligimus, quam extensionem in longum, latum, & profundum, non soleamus dicere ibi esse corpus, sed tantum spatium, & quidem spatium inane; quod ferè omnes sibi persuadent esse purum nihil.* At verò & alia, & plura contra Cartesii sententiam argumenta adferri posse jam in præcedentibus ostensum est. Illorum quoque unum hoc posterius esse ibidem visum, adeòque in sequentibus ipsius Cartesii ad illud responsio erit examinanda. In priori argumento duo explicatu dignissima notanda veniunt; Unum

de

de Rarefactione & Condensatione, alterum de Distinctione Quantitatis à corpore.

De Rarefactione & Condensatione sic disserit Cartesius, §. VI. *Sed quantùm ad rarefactionem & condensationem, quicunque ad cogitationes suas attendet, ac nihil volet admittere nisi quod clare percipiat, non putabit in ipsis aliud quidquam contingere, quam figuræ mutationem; ità scilicet, ut rara corpora illa sint, inter quorum partes multa intervalla existunt, corporibus aliis repleta, & per hoc tantum densiora reddantur, quod ipsorum partes invicem accedentes, intervalla ista imminuant, vel planè tollant: quod ultimum si aliquandò contingat, tunc corpus tam densum evadit, ut repugnet ipsum densius reddi posse. Atqui non ideò minus tunc extensum est, quam cum partes habens a se mutuò dissitas majus spatium amplectitur: quia quicquid extensionis in poris, sive intervallis, à partibus ejus relictis continetur, nullo modo ipsi tribui debet, sed aliis quibusvis corporibus, à quibus intervalla ista replentur. Ut cùm videmus spongiam, aquâ vel alio liquore turgentem; non putamus, ipsam secundum singulas suas partes magis extensam, quam cùm compressa est & sicca; sed tantummodò poros habere magis patentes, ac ideò per majus spatium esse diffusam.* Lubens sanè hanc de rarefactione & condensatione Cartesii explicationem amplector. Nempe consentit hîc Cartesius cum antiquis Philosophis, qui in sola particularum remotione aut separatione rarefactionem sitam esse docebant; condensationem verò in earundem particularum appropinquatione, ut quidem à me explicatum est in *Phys. Exerc.* XXXV. Ubi etiam nec rarefactione novam quantitatem acquiri, nec condensatione deperdi ostensum est, *quæst.* III. adeòque & talem rarefactionem aut condensationem, quæ fiat mutatione aut receptione novæ qualitatis & quantitatis, qualem docuit Aristoteles, nullam admitti posse. Cúmque totum hoc negotium spongiæ aquam vel alium liquorem poris suis recipientis exemplo commodè & satis intelligibiliter explicari possit, rectè dixit Cartesius. §. VII. Se non videre, *quid moverit nonnullos, ut mallent dicere, rarefactionem fieri per augmentationem quantitatis, quam ipsam hoc spongiæ exemplo explicare. Nam*, ut porrò ait, *etsi cùm aër aut aqua rarefiunt, non videamus ullos ipsorum poros, qui ampliores reddantur, nec ullum novum corpus, quod ad illos replendos accedat; non est tamen rationi tam consentaneum, aliquid non intelligibile effingere, ad eorum rarefactionem verbotenus explicandam, quam ex hoc quod rarefiant, concludere, in ipsis esse poros, sive intervalla, quæ ampliora redduntur, & novum aliquod corpus accedere, quod ipsa implet;*

etsi hoc novum corpus sensu non percipiamus. In quibus nihil notandum occurrit, satisque benè omnia procedunt, nisi quod & aëri rarefactionem attribuere videatur Cartesius, de quo tamen maxima potest esse dubitatio. Cùm enim ex dictis constet, rarefactionem fieri, quandò inter corporis alicujus intervalla sive poros particulæ alterius corporis alicujus tenuioris interjiciuntur; Et verò aër sit corpus tenuissimum, quo tenuius in rerum natura nullum excogitari potest, utique, qua ratione aër propriè rarefieri queat, non video.

Quia tamen, nostro judicio, aër est corpus maximè rarum, utique ipsum spongiæ instar comprimi posse, ut minus spatii, & iterum absque alterius corporis ingressu extendi, ut plus spatii occupet, haud præter rationem statui existimo. Si quoque hanc compressionem condensationem, & extensionem rarefactionem quis nuncupare voluerit, haud multum refragabor. Sententia hæc nostra probatur experientiâ, quæ docet eundem aërem calefactum majorem, frigefactum verò minorem locum occupare, ut evidenter constat lagenis vitreis, vel etiam Medicorum cucurbitulis, quæ igne extincto, illicò aquam, vel carnem, vel Sanguinem attrahunt. Nempe, quia aër frigore coarctatur, & minori spatio frigefactus indiget, adeòque, ne detur vacuum, aliud corpus contra suam naturam ascendere cogitur.

Quod porrò ait Cartesius, *Nullam rationem nos cogere ad credendum, corpora omnia quæ existunt debere sensus nostros afficere*, non adeò certum est. Cùm enim in Philosophia absque ratione nihil affirmari debeat, neque corpus, quod sensus non afficiat, admittendum videtur. Nam si corpora sensu à nobis non percipiantur, nulla amplius via ad eorum cognitionem acquirendam superesse videtur. Quamvis enim aër, sive vapor, aliavè id genus corpora tenuissima visum aliquandò non afficiant, non tamen propterea putandum est, ea sensu nequaquam esse perceptibilia; cùm & tactu, gustu, vel odore ejusmodi corpora percipi experientia ostendat. Aëris autem vel vaporum ingressu aut egressu omnem corporis rarefactionem & condensationem satis intelligibiliter explicari posse, ex antedictis patet.

Verissimè quoque à Cartesio docetur, *Planè repugnare, aliquid nova quantitate, vel nova extensione augeri, quin simul etiam nova substantia extensa, hoc est, novum corpus ei accedat; Neque ullum additamentum extensionis vel quantitatis, sine additamento substantiæ, quæ sit quanta & extensa, posse intelligi.* Nempe hujus Cartesii assertionis fundamentum est, realis quantitatis sive extensionis, & corporis sive materiæ extensæ identi-

identitas; ità ut extensio sive quantitas corporea, & materia extensa sive corpus in re non differant. Sed de hoc jam ulteriùs agendum est.

Caput. VI.

Inquiritur, utrum Quantitas corporea reipsa à corpore distinguatur.

SI Extensio seu Quantitas realiter à corpore esset distincta, utique & materiam sive corpus absque ea concipi posse sequeretur; ac proinde in extensione essentia aut natura materiæ non consisteret. Hoc autem cùm planè Cartesii sententiam evertat, negat hoc loco Quantitatem in re à corpore aut materia extensa differre, nec aliam hîc distinctionem excogitari posse ait, quam rationis & ex parte conceptus nostri. Sed verba ipsa audiamus: *Quippe*, inquit, *quantitas à Substantia extensa in re non differt, sed tantum ex parte nostri conceptus, ut & numerus à re numerata. Ità scilicet ut totam naturam substantiæ corporeæ, quæ est in spatio decem pedum, possimus considerare, quamvis ad istam mensuram decem pedum non attendamus; quia planè eadem intelligitur in qualibet istius parte ac in toto. Et vice versa, potest intelligi numerus denarius, ut etiam quantitas continua decem pedum, etsi ad istam determinatam substantiam non attendamus: Quia planè idem est conceptus numeri denarii, sive ad hanc mensuram decem pedum, sive ad quidlibet aliud referatur; Et quantitas continua decem pedum, etsi non possit intelligi sine aliqua substantia extensa, cujus sit quantitas, potest tamen sine hac determinata. In re autem fieri non potest, ut vel minimum quid ex ista quantitate aut extensione tollatur, quin tantundem etiam de Substantia detrahatur; nec vice versa, ut tantillum de Substantia detrahatur, quin tantundem de quantitate ac extensione tollatur.* Toto hoc discursu nihil aliud vult Cartesius, quam Quantitatem seu extensionem ratione quidem distingui posse à materia & corpore, in re tamen nequaquam. Ratio est, quia mens nostra quantitatem quidem sive longitudinem alicujus corporis, non conceptâ tamen illius naturâ aut essentiâ, considerare potest. Nempe possum quidem ego mente mea considerare vel percipere longitudinem viæ sive distantiam hujus civitatis ab alia, licet non considerem aut percipiam naturam corporum eôrum, terræ, herbarum, plantarumque, aliorumve, quæ sunt in intermedio. Quemadmodùm etiam Geometra considerat quidem magnitudinem ejus, quem dimetitur, agri, absque consideratione naturæ illius, utrum fertilis sit aut sterilis, argillaceus aut sabulosus. Ità & Mathematici cogitationes suas prorsus à materia abstrahunt,

solasque

solasque magnitudines, lineas, angulos, & figuras triangulares, quadratas, circulares, &c. considerant, ut notum. Prætereà, quia corpus, licet absolutè sine quantitate esse nequeat, potest tamen esse sine hac aut illa determinata. Licet enim hæc cera omnis prorsus quantitatis expers esse nequeat, potest tamen esse sine hac, putà triangulari figura, quia & quadrata potest esse, vel rotunda. Denique, quia natura alicujus corporis imprimis homogenei potest considerari in minima particula, licet non attendamus ad universam illius molem aut quantitatem, siquidem omnes particulæ ejusdem naturæ esse supponuntur. Ex hisce ergò quantitatem ratione quidem à materia aut corpore distingui haud malè colligit Cartesius. Quia verò in re nulla particula à corpore aut materia potest auferri absque quantitatis diminutione, nec quantitas vel minima auferri quin simul aliqua de corpore particula auferatur; utique in re materiam & illius quantitatem nequaquam differre verissimè concludit.

Ut autem totum hoc negotium rectius percipiatur, omnisque in posterum ambigendi ratio auferatur, notandum est; primò, distinctionem esse inter quantitatem & extensionem, quamvis hæc vocabula passim promiscuè usurpari soleant. Extensio enim speciale videtur attributum eorum duntaxat corporum, quorum particulæ propter viscositatem in longum & latum duci possunt, ut: *Metalla*, *aurum*, *argentum*, *æs*, *stannum*, *plumbum*, &c. Item, *Pix*, *cera*, &c. Neque enim extendi dicimus corpora tum liquida, ut: *aqua*, *vinum*, &c. tum dura, ut: *Lapides*. Haud ergò satis accuratè extensio & quantitas pro iisdem habita fuêre, cum extensio non omnibus indifferenter, sed quibusdam tantùm corporibus attribui queat, habeatque relationem ad extendentem, sicut actio ad agentem, ut constat ex dictis. Sic & manum eandem nunc extensam, nunc contractam vocamus. Item, brachium extensum & contractum; Similiter homo dicitur extendere digitos, cervicem, caput, pedes, &c. Extensio ergò contractioni est opposita, adeòque ubi non est contractio, ibi nec extensio propriè locum habere videtur; unde nec arenulas, pulvisculos, particulas minimas, aut atomos rectè extensas dici apparet, licet interim Quantitas ipsis indivisibilis verè attribui possit. Est igitur Extensio corporea nihil aliud, quam modus corporis, quo secundùm longitudinem & latitudinem productum intelligitur.

Deinde, de Quantitate notandum est, eam non nisi relativè rebus attribui, idque multiplici ratione; primò, ratione multitudimis, seu numeri, veluti cùm Ecclesiam magnam, exercitum magnum apellamus, quod multis constet hominibus. Secundò, ratione ponderis, gravitatis

tis aut levitatis, veluti cùm magnum dicimus esse pondus auri, argenti, plumbi, &c. Tertiò, ratione perfectionis vel imperfectionis, virtutis ac vitii, veluti cùm quempiam dicimus magnum fide, virtute, fortitudine bellica, &c. Magnum peccatorem, furem, &c. Similiter & Deum magnum vocamus potentia, sapientia, veritate, &c. Quartò, ratione durationis & temporis, veluti cùm dicimus aliquem vixisse longo tempore, &c. Quintò, ratione loci aut spatii, veluti cum dicimus magnum regnum, magnam provinciam, magnam civitatem, magnam domum, &c. Sextò, ratione molis & corporëitatis, quâ res constat, veluti cùm Sol dicitur major terra, &c. duæ posteriores significationes imprimis hoc loco considerandæ veniunt.

Et quidem prior illa Significatio, quâ ratione loci aut externæ superficiei corpus aliquod magnum dicimus, maximè vulgaris esse videtur. Corpus enim ligneum aut porosum bipedale majus dicere solemus corpore pedali aureo & maximè compacto, licet plus materiæ in hoc quam illo contineatur. Similiter & vasa ea majora vocamus, quorum ambitus majora seu ampliora intra se spatia comprehendunt, non attendendo utrum corporibus internè repleta sint, nec ne. Neque aliter circulos, globos, sphæras, aliasque figuras mathematicas triangulares, quadratas, multilateras majores appellamus, nisi quarum perimetri sive extremitates longissimè à se mutuò distant, licet interim nullum in se corpus aut materiam contineant. Neque enim propterea globum hunc terrestrem minorem diceremus, si vel in medio vacuus esset, vel si interiores illius partes annihilarentur. Similiter & de magnitudine Solis, lunæ, omniumque Planetarum & Siderum philosophari solemus. Nemo enim considerat, utrum corpora illa cœlestia internè vacua sint, an plena. Externas solummodò superficies & circumferentias spectant, & inde de eorum magnitudine determinare solent Astronomi. Et secundùm hanc explicationem dicere possemus eandem materiam sub diversa quantitate apparere posse, adeòque identitatem materiæ non necessariò arguere identitatem quantitatis; quemadmodùm exigua massa vitrea à vitriario inflata majorem quantitatem sive magnitudinem accipit.

At verò Philosophi, de hac materia agentes, Quantitatis nomine communiter non tantùm intelligunt externam illam corporum superficiem, verùm etiam internam corporis molem, & quicquid corporëitatis intra externas illas superficies continetur. Et hoc sensu impossibile est quantitatem à corpore realiter distingui. Ratio est perspicua, quia singulæ minimæ particulæ determinatam suam habent quantitatem, quæ

five hoc modo, ordine, situ, sive alio disponantur, semper tamen omnes simul sumptæ eandem quantitatem aut magnitudinem conficiunt. Quemadmodùm enim decem lapides quadrati & æquales, sive uno sive alio modo, ordine vel situ disponantur, sive etiam separati ab invicem existant, singuli tamen eundem semper locum, idémque spatium occupant, quæ spatiola omnia simul sumpta, æquale semper spatium conficiunt; ità etiam corpuscula minima, vel quæcunque tandem illa fuerint, sive hoc, sive illo modo aut loco disponantur, omnia simul sumpta eandem semper magnitudinem sive quantitatem producent, ut constat ex figuris subjectis, ubi novem corpuscula quadrata æquale semper spatium implere videmus, licet tribus diversis modis sint disposita.



Fingi itaque nequit, ut vel minimum corpusculum hisce addatur, sive dematur, nisi & quantitas totius vel augeatur vel minuatur, ut sua luce est evidens.

Tertiò denique notandum est, Magnitudinis & Parvitatis vocabula, quocunque tandem modo sumantur, semper esse relativa, adeòque nunquam corpori attribui nisi relativè ad aliud; Quod enim ratione minoris magnum dicitur, id ipsum ratione majoris parvum erit; quemadmodùm etiam numerus 100. Si comparetur cum 10. vel 20. magnus, si verò cum 1000. vel 10000. parvus appellatur. Sed & hîc iterum diversarum rerum relationes esse possunt; Idem enim homo, quatenus cum gigante, pygmæo, infante, equo, formica, aliisve comparatur magnus vel parvus esse potest. Similiter & stellas parvas dicimus ratione apparentiæ aut speciei, quam habent in oculis nostris, & si cum Sole & Luna ratione ejusdem apparentiæ conferantur; easdem verò magnas dicemus etiam ratione Lunæ, si ad veram earum molem attendamus. In specie autem corpora animata, aliáque quæ determinatam suam à natura habent quantitatem, magna vel parva dicere solemus comparatione facta ad ordinariam molem, ad quam determinata esse judicantur. Sic Gigas, vel alius quilibet ordinariam hominis staturam excedens, magnus dicitur homo; Pygmæus verò vel alius quivis minori mole prædıtus, parvus, & ità de cæteris. Sic & Equum sub quantitate Canis vel Ovis subsistentem parvum, canem verò vel ovem sub quantitate Equi præ magnitudi-
ne

ne monstruosum dicemus. Eundem hominem, quem in puerili ætate magnum diceremus, si sub eadem adultior factus appareat, parvum & homunculum appellabimus. Tota hæc doctrina ab ipso Aristotele proponitur, *Categ. Lib. cap.* VI. ut mirum sit eam à Peripateticis non diligentiùs fuisse observatam. Verba illius sic sonant ex interpretatione Pacii. §. 20. *Nihil per se magnum dicitur vel parvum, sed eo, quod ad alterum refertur. Ut mons parvus dicitur, Milium magnum: quoniam iis quæ sunt ejusdem generis, hoc est majus, ille minor. Ergò ad alterum fit relatio: quia si per se parvum aut magnum diceretur, nunquam mons parvus diceretur, & milium magnum. Rursus in vico multos homines esse dicimus: Athenis paucos, cùm multò plures illis sint. Et in ædibus multos, in theatro paucos, cùm multò plures illis sint. Prætereà, bicubitum & tricubitum, & id genus alia significant quantum: magnum autem vel parvum non significant quantum, sed potiùs ad aliquid: Quia in relatione ad alterum spectatur magnum & parvum. Quocirca perspicuum est, hæc esse in eorum numero, quæ sunt ad aliquid.*

Cùm igitur Quantitatis, Magnitudinis & Parvitatis vocabula relativa sint, & corporibus non nisi in ordine ad alia attribuantur, (unde & idem diversa ratione magnum & parvum dici potest) Cúmque Extensio non omnibus corporibus in genere, sed quibusdam duntaxat, putà extensibilibus conveniat, & quasi aliunde adveniat; utique manifestum videtur id, quod suprà de conceptu & natura Corporis in genere disserui-mus, nempe eam non consistere in nuda extensione aut quantitate. Ut ergò nulla in posterum dubitandi causa supersit, hisce vocabulis, quibus jam omninò ipsi nimiùm assueti sumus, abstinere præstabit; & corpus naturâ suâ nec quantum dicemus, nec extensum, nec magnum, nec parvum; sed Ens materiale tantùm, seu corporeum, quod sola impenetrabilitate ab Ente immateriali distinctum est, ut Suprà dictum: Ens autem materiale extensum dicemus, ubi in latitudinem sive longitudinem fuerit productum; Magnum verò vel parvum, postquam Mentis nostræ operatione cum aliis erit comparatum. Unde intelligitur, nec magnum nec parvum corpus dici posse, si tantùm unicum esset in rerum natura, siquidem cum nullo alio comparari à mente posset. Interim & hoc firmum manet, tùm Quantitatem, tùm Extensionem, quibuscunque tandem corporibus, & quocunque modo attribuatur, non esse rem quandam ab ipso corpore diversam; quia extensio duntaxat modus est corporis extensi, & magnitudo vel parvitas relatio mentis tantùm, ut patet ex dictis.

APPENDIX AD CAPUT VI.

Quâ discutiuntur ea, quæ Claubergius de essentia seu natura corporis in communi disserit.

INter cæteros Cartesianæ Philosophiæ Patronos haud ultimus esse videtur Johannes Claubergius S. S. Theol. & Phil. in Acad. Duisburg. Doct. & Professor; qui Exercitationum suarum Libro, Exerc. XLVIII. juxta Cartesii doctrinam, Essentiam corporis in extensione sitam esse docet, eámque argumentis quibusdam confirmare conatur. Erit ergò operæ pretium eundem hîc Doctissimum virum ad partes vocare, ejusque super hac quæstione explicationem examini nostro subjicere. Sic autem ille scribit. §. 1. *Essentia*, inquit, *seu natura alicujus rei vocatur id, quod tali rei omni, soli, semper convenit, ità ut nihil eo prius in eadem re percipere possimus. Quod postremum addo propter* Proprium *(quarto modo dictum) quod essentiam necessariò sequitur, & quod proinde omni, soli, & semper competit, sed ità ut eo prius quid possit in re concipi, nempe ipsa rei essentia seu natura, quam proprietas sequitur (sic enim cogitare & loqui solemus.)* Quia ità nos cogitare & loqui solere dicit Claubergius, non propterea rem ità se reverà habere putandum est. Si enim secundùm ipsam rei veritatem rem consideremus, quod *Proprium* dicunt vulgò, ipsa rei essentia est, neque ab ipsa in re distinctum, ut alibi à nobis demonstratur; adeòque propriè & accuratè loquendo essentiam non sequitur. Ità tamen nos loqui posse concedo, quatenus mens nostra unum ex alio firma consecutione deducit, quemadmodum & ex infinita Dei Essentia omnes ferè ipsius, ut vocant, proprietates colliguntur, quæ in re ab illius essentia non differunt.

Pergit Claubergius, §. 2. *Quæritur hîc*, inquit, *quænam sit essentia rei corporeæ in genere & in communi, sive, quæ sit natura corporis, non quatenus hoc aut illud, tale aut tale est, sed quatenus corpus est. Et respondetur, hoc nihil aliud esse, quàm extensionem in longum, latum & profundum, unde corpus benè definitur, res extensa.* Sed hîc mihi explicari velim, utrum corpus tale, quale hîc sibi definiendum sumpsit Claubergius, uspiam detur in rerum natura? Si non detur, frustrà illius investigatur definitio. Si ergò dari dixeris; respondeo, omne corpus in rerum natura existens esse hoc vel illud singulare, adeòque tale vel tale. Si dicas, non essentiam hîc definiri perfectè, qualis est in rerum natura, sed qualis à nobis conceptu quodam communi concipitur, seu, id quod omnibus

bus

bus corporibus abstractè sumptis inesse intelligitur; ità ut hac definitione explicetur duntaxat aliquid genericum, quod sit omnibus corporibus commune: Ad id jam satis supérque à nobis in præcedentibus responsum est, neque eadem hîc repetere est necesse. Et notandum haud satis accuratè illud dici corpus in genere, aut in communi, cùm potiùs dicendum videatur, aliquid omnibus corporibus commune. Hoc autem nihil aliud esse diximus, quam Ens materiale.

Sed audiamus rationem Claubergii, §. 3. *Nam*, inquit, *talis extensio primò quidem convenit* omni *corpori*, *h.e. non tantùm cœlesti*, *sed etiam terrestri*, *aëri*, *igni*, *aquæ*, &c. *Et quamvis parvum admodùm sit corpusculum*, *habet tamen aliquam extensionem*, *quatenus ex.gr. dextra & sinistra pars in eo potest distingui. Et quamvis capilli nostri multò plus habeant longitudinis*, *habent tamen etiam aliquid latitudinis*, *unde alii aliis crassiores sunt.* Sed primò hîc quidem scire velim, unde tandem in hanc devenerit cognitionem Claubergius, omne vel minimum corpusculum in cœlo, terra, aëre, & aquis esse extensum? Nunquid omnes illorum vel intimos recessus evolvit Claubergius, ut nullum omninò iis corpusculum, quod non extensum sit, contineri tam confidenter enunciet? Vel denique, unde certus est etiam ea, quæ nec vidit unquam, nec videre potuit, in longum latum & profundum extensa sint? Atqui Philosophi non est absque ratione loqui. Sed & contrà asserimus nos falsum esse omnia corpora & corpuscula esse extensa. Nam, primò ostendimus jam suprà extensionem propriè est strictè sumptam convenire duntaxat corporibus iis, quæ extensibilia sunt, seu extendi possunt. Ecquis enim unquam Solem in cœlo extensum dixerit, Sidera extensa? Quis formicas, aviculas, muscas, arenulas item, pulvisculos in aëre volitantes, aliáque infinita extensa asserat? Nonne risum moveas, si homines brevioris imprimis staturæ extensos viros appellaveris? Quid ineptius; quàm brachium etiam contractum extensum dicere, & manum extensam, etiamsi in pugnum contracta sit? Quis unquam mortalium ità locutus est? Quæ ergò ista Philosophia est, quæ, absque necessitate, bonorum Authorum exemplo, barbaris hujusmodi, inusitatis, atque ineptis delectetur loquutionibus? Deinde, dari atomos & particulas indivisibiles, quibus nec extensio latiùs sumpta conveniat, infrà fusiùs demonstrandum.

Neque obstat, quod Claubergius ait, in quovis vel minimo corpusculo distingui posse partem dextram & sinistram. Minimum enim corpusculum partes non habet in se, potest tamen dextrum & sinistrum ha-

bere extra se. Ex. gr. Centrum, omnium consensu indivisibile punctum est & medium in circulo, partes ergò nullas habet, ut patet. Una tamen circumferentiæ pars ipsi dextra est, altera sinistra, una suprà, altera infrà. Quis verò hinc varias in Centro partes esse inferat? Similiter etiam ratione Angeli, in hoc vel illo Ubi existentis, dextrum & Sinistrum considerari possunt, & tamen partibus caret, ut notum. Quamvis nec ex partibus rem extensam esse concludi possit, ut constat ex dictis. Ac proinde capilli nostri, ut eodem Claubergii exemplo utar, licet secundùm longitudinem extensi dici queant, nemo tamen eos secundùm crassitiem aut latitudinem extensos dixerit.

Sed pergamus ad §. 4. *Deinde*, inquit, *extensio talis competit soli rei corporeæ, nulli incorporeæ seu spirituali, Nam res spiritualis sive intellectualis est res cogitans; quæ si extensa foret, divisibilis esset in partes, atque ità corruptibilis ad modum corporis.* Si extensio in latiori significatione Claubergio sit, non-existentia in puncto indivisibili, sive coëxistentia cum spatio divisibili & extenso; falsum est, spiritus extensos dici non posse. Quis enim eos spatio aliquo indivisibili determinatos aut inclusos existimet? Neque tamen exinde illorum divisibilitas aut corruptibilitas ulla ratione deducitur. Nam & essentia Dei per omnia loca & spatia diffusa est, iisque verè præsens; quia immensa, nullisque loci terminis circumscripta aut definita, juxta id quod legitur 1 Reg. VIII. 27. *Cæli cælorum non capiunt te.* & Jer. XXIII. 24. *Cælos & terram ego impleo, dictum Jehovæ.* Et tamen indivisibilis ipse, atque incorruptibilis.

Tertiò inquit Vir doctissimus §. 5. *extensio talis corpori semper competit, quia utcumque reliqua omnia tollantur & varientur, hoc (fortè, hæc) manet quamdiu corpus manet: Ex. gr. glacies amittit duritiem, cùm in aquam resolvitur, aqua amittit gravitatem, cùm in vapores redigitur, vapores amittunt levitatem, cùm in aquam revertuntur; Sed extensio neque in aqua abest, neque in glacie, neque in vapore.* Resp. Cùm extensionem non *omni* corpori competere jam probatum sit, utique nec *semper* illi competere manifestum est. Deinde, corpus eandem semper extensionem retinere non ostendit Claubergius. Cùm enim propriè loquendo extensio modus sit corpori extensibili adveniens, utique modo illo mutato etiam extensionem mutari necessum est. Sic ergò statuimus, aquam in vapores abeuntem longè aliam & majorem extensionem suscipere, vel etiam tunc verè extendi, cùm anteà extensa non esset, quo sensu etiam in principio aërem à Deo extensum, cœlosque extensos S. literis doceri existimo. Si dicas, omnes particulas minimas collectivè sumptas eandem quantitatem,

semper

ſemper efficere, ſive in arctiori loco compactæ, ſive in ampliori exiſtant; regero, non omne quantum extenſum eſſe; deinde, idem de ſingularum particularum gravitate dici poſſe; ſiquidem omnes illæ particulæ, ſi iterum compingantur, eandem gravitatem obtinerent, quæ anteà obtinebant. Hæc, quam jam manibus teneo, cera figuram habet rotundam, tu rotundam extenſionem vocas; Ego eam deduco in longum, & jam verè à me extenſam dico, eſtque eò magis extenſa, quò longiùs deducta. Sed utramque jam figuram extenſionem appellemus, nunquid tamen eandem dices? Alia certè rotunda figura eſt, alia longa extenſio. Intelligimus ergò non eandem ſemper eidem corpori competere extenſionem, adeòque aliud eſſe corpus ejuſque eſſentiam, aliud ejuſdem extenſionem.

Conſtat ergò, quàm infirma ſit iſta Claubergi conſequentia, quam ex præcedentibus elicit his verbis, §. 6. *Unde ſequitur eſſentiam corporis in communi non conſiſtere in duritie, nec in gravitate ſeu pondere, nec in levitate vel talibus, quæ tolli poſſunt; ſed ſemper in extenſione quæ ſemper adeſt.* Siquidem jam extenſionem nec omnibus, nec ſolis, nec ſemper, corporibus competere demonſtratum eſt.

Sed neque hoc verum eſt, quod ſequitur §. 7. *Quartò extenſione tali nihil prius in re corporea poteſt concipi, nam etſi omne corpus etiam ſit diviſibile in partes, hoc tamen non eſt primum quod ei ineſt ſeu quod in ea intelligitur, nam ideò quid eſt diviſibile, quia extenſum eſt, non contra, quia diviſibile, ideò extenſum.* Diviſibilitas noſtro judicio, non ſimplicibus, ſed compoſitis duntaxat corporibus convenit, adeòque & hoc libenter damus non eſſe primum, quod in quolibet corpore concipitur; cùm & abſque diviſibilitate corpuſcula eſſe & concipi queant. Extenſionem verò eſſe rationem diviſibilitatis, licet ad rem non faciat, abſolutè falſum eſt, ut patet ex dictis. Ideò autem corpus diviſibile ſtatuimus, quia eſt compoſitum & partes habet. Et hinc percipitur, Spiritus, licet ſpatio alicui diviſibili præſentes ſint, haud tamen proptereà diviſibiles eſſe. Deinde, ſi vel omninò concedatur ideò corpus eſſe diviſibile, quia extenſum eſt, non tamen ex eo ſequeretur extenſionem primum id eſſe, quod in re corporea concipitur, quia modus eſt corpori compoſito ſuperadditus, adeòque aliquid eſſentiâ poſterius, ſaltem in conceptu noſtro.

Reliqua, quæ addit Vir clariſſimus, ad rem non faciunt, ut patet, quia iis duntaxat probare intendit extenſionem prius concipi quam diviſibilitatem, quod contra nos non facit, ut ex prædentibus conſtat. Notari tamen & hîc quædam poſſunt, ut quod dicit §. 8. *Diviſibile eſſe negativum*; cùm tamen *diviſibile* ſignificet potentiam paſſivam, ut loquntur,

quuntur, ad divisionem partium. *Divisum* quidem negationem unionis dicere videtur, non verò *divisibile*, quod unionem ponit partium. Deinde, quod dicit §. 9. *Divisionem ad corruptionem ducere*, & *omnia in unitate conservari*, & denique, quod extensio sit *id*, *per quod corpus conservetur*. Nam primum quod attinet, quænam, quæso, fingi corruptio potest in cera hac, si eam in partes dividam, aut calore liquefaciam? Certè cùm aromata mortario tunduntur, & in minimas particulas resolvuntur, nemo ea aut corrumpi aut vires suas amittere somniat. Ad secundum, ænigma hoc est, & parùm Philosophicè dictum, *omnia in unitate conservantur*. Si sensus sit, res indivisas servari, divisas verò corrumpi, utut de animatis concedi queat, de inanimatis tamen falsum esse jam patet ex dictis. Et cùm totum multas semper partes contineat, quare non idem multitudine partium conservari eodem jure dici posset? Certè tunc demum optimè hominem conservari judicamus, dum omnes ipsi partes, omniaque membra integra conservare licet. Ad tertium, si in extensione essentia corporis consistat, utique si per extensionem conservari corpus dixeris, essentiam per se ipsam conservari dicas oportet. Deinde, cùm causa semper distinguatur à suo effectu, si per extensionem corpus conservari asseras, nonne in proclivi erit colligere extensionem esse re ab essentia corporis distinctam? Denique, quid ad conservationem extensio faciat, prorsus quæ mea est inscitia, non intelligo.

Quod denique non faciat Claubergius cum iis, qui quantitatem definiunt, *quâ res quanta est dividua in ejusdem secum rationis partes, quarum alia est extra aliam*, benè habet. Neque enim & nos cum iis facimus, qui & res minimas & nequaquam extensas individuasque quantas appellare non dubitamus; Quin & Deo, spiritibus, aliisque multis quantitatem aliquam attribui posse abundè à nobis est ostensum.

CAPUT VII.

An Spatium sive Locus in re à materia non differat?

ATque ità jam satis supérque me examinasse videor ea, quæ de quantitate ejusque à Corpore distinctione Cartesius disseruit; sequitur jam altera ratio, quam contra suam sententiam, materiam in sola extensione sitam esse, objici posse probè advertit. Quia verò & nos suprà eodem argumento usi sumus, haud erit inutile illud hîc resumere; tùm verò ipsius Cartesii responsionem examini nostro subjiciemus. Argumentum ipsum desumptum fuit ex eo, quia extensio sive Quantitas etiam Spatio

tio & loco attribuitur. Jam verò, cùm Spatium sive Locus materia non sit; sequitur ergò omnem extensionem aut quantitatem non esse materiam, aut materiæ essentiam sive naturam in extensione non consistere. Jam verò quid ad hæc Cartesius: *Non*, inquit §.x. *in re differunt spatium sive locus internus, & substantia corporea in eo contenta, sed tantum in modo, quo à nobis concipi solent.* At verò quis non percipiat continens & contentum magis differre, quàm ratione aut conceptu nostro. Quamvis enim corpus nullum fingi queat, quod non alicubi in spatio aliquo existat, spatium tamen absque corpore eo contento concipi potest. Quin imò, cùm spatium fuerit antequam corpus in eo existeret, utique spatium nequaquam à corpore dependere intelligitur. Et reverà nisi Cartesius jam præjudicio suo, quo corpus nihil aliud quam extensum quid esse finxit, præoccupatus fuisset, neque hæc ab ipso asserta fuisse putem. Ecquis enim clarè distinctéque percipiat spatium idem esse quod corpus, quod in ipso constitutum est? Corpus in varias formas atque figuras mutari potest, diversisque successivè in locis existere, Spatium verò immutabile semper idem est, neque de loco in locum moveri potest. Spatium diversa quoque corpora successivè potest recipere, quin imò in eodem spatio corpus & spiritus simul esse possunt, adeòque indifferenter se habet spatium ad spiritus & corpora diversa; aliud ergò spatium est, aliud corpus, quod in eo continetur.

Neque proinde veritati consentaneum est, quod sequitur: *Reverà enim extensio in longum, latum & profundum, quæ spatium constituit, eadem planè est cum illa, quæ constituit corpus.* Nam, (ut jam omittam extensionem propriè loco aut spatio haud accuratè attribui, quia corporibus duntaxat extensibilibus convenit, ut in præcedentibus notatum,) falsum est extensionem seu quantitatem spatii eandem prorsus esse cum illa, quæ constituit corpus. Ratione magnitudinis similes quidem aut æquales dici possunt, adeòque eadem quidem utriusque extensio dici potest specificè & quoad similitudinem aut æqualitatem, non verò eadem identitate numerica, ut patet. Intereà, si extensio sive quantitas (promiscuè enim hæc vocabula ex usu vulgari hîc sumuntur) loci non differat ab extensione sive quantitate corporis, utique sequeretur corpus nunquam loco suo motum iri, quia semper eandem extensionem sive quantitatem obtinet, ut patet ex dictis.

Pergit Cartesius: *Sed*, inquit, *in hoc differentia est, quod ipsam in corpore ut singularem consideremus, & putemus semper mutari quoties mutatur corpus; in spatio verò unitatem tantùm genericam ipsi attribuamus,*

Corpus in genere ſpectatum ut ſic non datur in rerum natura, eſtque purum Ens rationis, ſicut & omnia Univerſalia, ut vocant. Omne corpus exiſtens in rerum natura, cujus natura à Philoſophis inveſtigatur, eſt hoc vel illud ſingulare. Adeòque nequaquam putandum eſt, id quod in genere de corpore ejuſve natura concipitur, ut tale etiam extra mentem exiſtere. Eſt quidem id, quod concipitur in omni corpore, & idcircò omnibus commune, ſed non tantùm. Unumquodque ergò corpus exiſtens, licet ſine hac vel illa proprietate eſſe poſſit, non poteſt tamen eſſe abſque omni, ſcilicet ſine ea, quæ ipſi eſſentialis eſt, & ad quam jam omninò à natura determinatum. Ità ex. gr. licet corpus hoc vel illud poſſit eſſe ſine virtute attractiva ferri, non rectè tamen inde concluſeris etiam Magnetem ſine ea eſſe poſſe, quia hæc virtus Magneti eſſentialis eſt. Similiter & corpus, quod naturâ ſuâ eſt calidum, (ut: Sol, ignis, &c.) abſque calore eſſe nequit; quod naturâ ſuâ eſt grave, (ut: plumbum, aurum, &c.) ſine gravitate eſſe non poteſt; & ità de cæteris. Et hinc patet, quàm ineptè Carteſius ex generali illa corporis idea; quam mente noſtra formamus, colligat nihil aliud ad naturam aut eſſentiam corporum extra mentem requiri, quaſi idea corporis ejuſmodi in mente etiam extra mentem exiſtere poſſet. Oſtendat mihi vel acutiſſimus mortalium corpus aliquod in rerum natura, quod nec durum ſit, nec molle, vel fluidum, nec coloratum, nec pellucidum, nec grave, nec leve, nec calidum, nec frigidum. Oſtendi poſſe fateor corpus, quod non ſit aliquid horum determinatè, putà vel frigidum, vel calidum, vel grave, vel leve, &c. at verò quod nihil horum ſit, conſtanter nego. Deinde, omnibus illis qualitatibus à corpore remotis, manet tamen in illa idea corporëitas ſive materialitas, ſecundùm quam corpus ab alio corpore eſt impenetrabile, & ſenſu perceptibile; Hæc autem non advertimus in idea ſpatii aut loci, adeòque etiam hac ratione conceptus ſpatii & corporis longiſſimè differunt. Equidem dubitarim, utrùm ſatis ſeriò à Carteſio aſſeratur, nihil planè ſe advertere in idea corporis, quàm in idea ſpatii, non modò corporibus repleti, ſed etiam vacui. Nunquid ergò ſpatium corpore plenum, & vacuum idem ſunt? Satin' ſanum dixeris, qui ſic ſentiat?

Quamvis autem inter caput plenum & vacuum diverſitatem non advertat Carteſius realem, in modo tamen concipiendi diverſitatem aliquam agnoſcit, ſic enim progreditur §. XII. *Eſt autem differentia in modo concipiendi, nam ſublato lapide ex ſpatio vel loco in quo eſt, putamus etiam ejus extenſionem eſſe ſublatam, utpote quam ut ſingularem & ab ipſo inſe-*

 para-

parabilem spectamus: sed interim extensionem loci, in quo erat lapis, remanere arbitramur, eandémque esse, quamvis jam ille locus lapidis a ligno, vel aqua, vel aëre, vel alio quovis corpore occupetur, vel etiam vacuus esse credatur. Quia ibi consideratur extensio in genere, censetúrque eadem esse lapidis, ligni, aquæ, aëris, aliorúmque corporum, vel etiam ipsius vacui, si quod detur, modò tantùm sit ejusdem magnitudinis & figuræ, servetque eundem situm inter corpora externa, quæ spacium illud determinant. Quod nos hîc putare dicit Cartesius, est verissimum. Quotiescunque enim corpus aliquod, putà lapis vel lignum, loco suo dimovetur, ejus quoque quantitatem, quæ secundùm ipsum Cartesium ab eo non differt, removeri necessum est. Cúmque interim loci quantitas sive capacitas maneat, quâ alia corpora, aquam, vinum, aërem, &c. successivè recipiat, utique non tantùm in modo concipiendi, sed in reipsa spatium sive locum à re locata longissimè differre intelligitur.

Sed, ait Cartesius, §. XIII. *nomina loci aut spatii, non significant quicquam diversum à corpore, quod dicitur esse in loco; sed tantùm ejus magnitudinem, figuram, & situm inter alia corpora designant. Et quidem ut ille situs determinetur, respicere debemus ad alia aliqua corpora, quæ ut immobilia spectemus: Ac prout ad diversa respicimus, dicere possumus, eandem rem eodem tempore locum mutare, ac non mutare.* Nomina loci aut spatii non significare quicquam diversum à corpore, quod est in loco, est ipsissimum id quod quæritur, quod probandum erat Cartesio, adeòque turpis hîc committitur paralogismus. Præterea, quis sanus credat locum & rem locatam, vel locum & esse in loco, idem significare? Quis item illud, locum nihil aliud significare, quàm corporis magnitudinem, figuram, & situm inter alia corpora? Hæc certè omnia probanda erant, non gratis sumenda. Philosophi non est dictare, sed dicta sua rationibus demonstrare, quod scientiam parit. De Magnitudine suprà actum est. Figura modus corporis est, ejusque determinationem seu delineationem externæ superficiei significat, adeòque æqualis cum spatio concipitur, in quo existit. Locus ergò ipsam figuram non significat, corpus autem figurâ præditum spatium sibi æquale implet, quod Locus appellatur. Situs existentiam corporis denotat, ejusque modum & ordinem quendam ratione partium, veluti cùm dicimus aliquem stare, sedere, &c. adeòque nihil horum loco significari manifestum est.

CAPUT.

CAPUT. VIII.

Natura sive Quidditas Loci explicatur.

UT autem totum hoc negotium clariùs intelligatur, omnisque porrò ambiguitas, quæ & hic ex diverso loquendi modo quàm maximè oritur, tollatur, notandum est Locum sumi posse vel absolutè, vel relativè. Locus absolutè sumptus nihil aliud significat, quàm spatium illud sive ubi, in quo corpus existit; quod si absit Vacuum appellatur.

Hoc autem ut intelligatur, cogitandum est spatium illud amplissimum, in quo universus nunc mundus existit, esse illius Locum; esséque infiniti spatii quasi particulam aliquam satis tamen amplam, ità ut in ea omnia corpora naturalia, Sol, Luna, Astra quælibet, Tellus, singula partem aliquam impleant; Quemadmodùm item Telluris spatium variis corporibus terrestribus, quorum singula quoque illius particulam occupant, repletum est. De hoc autem Universi spatio notandum, quod, licet in ipso, & per ipsum corpora moveri dicamus, ipsum tamen immobile sit, adeòque & omnes illius quasi partes aut particulas ut immobiles esse considerandas. Quod ut intelligas concipe globum aliquem super axes, & intra terminos suos determinatos moventem, ubi globus quidem, omnesque ejus partes moveri videntur; at spatium ipsum ut immobile semper, ut & illud quod extra globum est, concipitur. Hisce diligenter perpensis facilè patebit, quomodò singula corpora Mundi suum quæque locum obtineant, & quæ loco suo moveri vel non moveri dici queant. Quodcunque enim corpus in eadem istius spatii definita particula permanet, in loco suo absolutè immobiliter quiescit, quod verò ex ea deturbatur, movetur, & locum suum absolutè mutat.

Quia verò illud spatium invisibile est, nullisque terminis limitatum aut circumscriptum, utpote infinitum; utique si totum hoc Universum à Deo conditum continuò moveri ponamus, non tamen istum motum advertere possemus. Quemadmodùm, si quis cubiculo undique clauso vel etiam navigio inclusus, cubiculo illo vel navigio uniformiter & æquabiliter moto, non tamen se moveri loco sentiret. Cujus rei hæc est ratio, quod nos de motu locali ex sensu, & imprimis ex visus variatione determinare soleamus. Cùm ergò talis variatio in isto casu nulla esset, siquidem omnes circumpositæ particulæ in eodem viderentur situ, utique nec motum aut loci mutationem ulla ratione perceptum iri manifestum est. Ex qua ratione insuper & hoc colligitur, ne motum quidem aut loci muta-

tionem perceptum iri in hoc Universo, si totum simul omnesque ejus particulæ circulariter moverentur, quia ne tum quidem aliqua visus variatio contingeret quemadmodùm navi inclusus, etiamsi cum navi in gyrum duceretur, istum tamen motum advertere nequit. Sed de motu infrà pluribus agendum.

Locus relativè sumptus significat idem quidem illud spatium, seu ejusdem spatii quasi particulam cum respectu quodam aut habitudine ad determinatum aliquod corpus, ejusve determinatam particulam, cui quasi affixum aut annexum est. Adeòque quicquid supra eandem terræ, sive corporis cujuscunque particulam manet, (sive moveatur illa terræ sive corporis particula, nihil refert) in eodem loco manere censetur. Sic civitates, turres, ædificia, domus, aliáque id genus immobilia dicuntur, quod semper ab iisdem terræ particulis sustineantur, iisque immobiliter quasi affixa sint. Similiter & eodem loco permanere dicimus omnia illa, quæ aliis corporibus, aut corporum particulis affixa sunt, non attendentes utrum corpora illa moveantur, nec ne. Ex. gr. Membrum hoc in corpore meo, cerebrum, auris, nasus, os, dentes, &c. Item, hæc macula, vibex, hic varus, dolor, hoc vulnus, &c. in eodem loco permanere dicuntur, licet interim totum meum corpus continuò de loco in locum moveatur; quia locus omnium istorum est spatiolum quoddam determinatis corporis particulis affixum. Eadem ratione has literas chartæ huic impressas immobiles appello, licet interim ipsa hæc charta de loco in locum transportetur; & ità de cæteris. Oculos tamen, linguam, caput, brachia, manus, pedesque moveri dicimus, quia, licet iisdem quidem particulis membra ista affixa maneant, (qua ratione & in suo loco manere dici possunt) eundem tamen partium suarum situm, ordinem, aut habitudinem non semper observant.

Hisce probè intellectis, facilè percipitur idem corpus diversa ratione posse dici & moveri, & non moveri, seu manere in suo loco, quatenus nempe locus vel absolutè sumitur, vel relativè. Si enim Locus absolutè sumatur pro spatio immobili absque nulla corporis relatione, necessariò ad motum totius sequitur & motio singularum partium, etiamsi in locis suis relativè consideratis singulæ partes immobiliter persistant. Cùm igitur, utrùm totum hoc universum moveatur à nobis certò sciri nequeat, quia & ipsi in universo existentes simul cum eo moveremur, ad motum verò advertendum spectatoris sive oculi, & puncti è quo visio fit, immobilitas requiritur, ut infrà de Motu notandum; utique motus hic pro nullo à nobis habetur. Quare & Locum communiter sumere solemus

mus relativè pro ſpatio aliquo corpori alicui ſive particulæ illius quaſi affixo ſive adjuncto. Ac proinde ſive ponamus moveri totum univerſum ſive non, corpora tamen ſingula in ſuis locis manere dicimus, quæ iiſdem ſpatiis ſeu particulis univerſi affixa ſive contigua manent. Neque videtur continuò neceſſe, ad determinationem loci, quod Carteſius exiſtimat, §. XIII. *ut corpora ad quæ reſpicimus, tanquam immobilia ſpectemus.* Sive enim mobilia ſint iſta corpora, ſive immobilia, nihil refert, ut patet ex dictis; Et ſi immobilia putemus corpora, quæ mobilia ſunt & actu moventur, jam falſum erit mentis judicium. Si igitur navi quiſpiam provehatur de loco in locum, navem quidem moveri aut locum mutare dicemus, non verò hominem eâ provectum, modò in eadem navis parte immotus perſiſtat. Ecquis enim moveri dixerit eum, qui quietus in navi ſecurè dormit, & æquabiliter abſque ullo ſenſu provehitur? ſimiliter nemo quoque globum ſclopo vel bombardæ incluſum moveri judicabit, quamvis interim ſclopus vel bombarda in alium locum tranſportetur. Et ridiculus foret, quiſquis naſum, aures, aliaſve partes corporis loco moveri aſſereret, quotieſcunque hominem ſeſe localiter moventem vel ambulantem videmus.

Et hinc etiam intelligitur, Stellas, quas Fixas vocant, quod determinatis ſuis in cœlo ſpatiis infixas putent Ptolomæi ſectatores, ut & Planetas, quos ſimiliter orbibus ſuis affixos docent, non moveri ſuis locis, etiamſi omninò cum Ptolomæo Cœlum moveri affirmaremus. Nempe, quia tùm Fixæ, tùm Planetæ ſemper tamen in eadem ſui cœli parte immobiles permanerent. Sicuti ergò, progrediente navi per fluvium, haud rectè tamen inde ſingulos clavos aſſeribus aut tabulis infixos moveri concludas; eodem prorſus modo, licet totum cœlum, cœleſteſque orbes, quos ſolidos & duros habent, moveri dicamus, non tamen exinde ſtellas aut Planetas ſingulos loco moveri evinceretur. Quemadmodùm, ſi Terram vel globum terreſtrem moveri ſupponamus, non tamen ex eo Regiones, Provincias, oppida, turres, ædificia, arbores, plantas, &c. locis ſuis moveri, argui poſſet; ſiquidem omnia iſta iiſdem tamen ac determinatis ſuis terræ partibus affixa continuò manent.

Fatemur tamen & Locum aliquandò vocari ſpatium, quod à libero mentis noſtræ arbitrio determinatur, veluti cùm dicimus aliquem manere in hoc vel illo regno, oppido, templo, domo, carcere, conclavi, aliove quovis ſpatio ipſi aſſignato, intrà cujus limites ſeſe continet. Cùmque hæc determinatio ſit libera mentis actio, utique, eam pro lubitu ampliari vel contrahi poſſe, evidens eſt. Sic ampliando, Terram dicimus

mus esse locum mortalibus concessum, Cœlum esse locum beatorum, &c. contrahendo carcerem furi aut homicidæ pro loco assignat Judex. Addi denique potest & Locum aliquandò sumi pro spatio, in quo corpus esse videtur seu putatur tantùm, qui locus apparens dici posset, veluti cùm hoc vel illud Astrum, Planetam, Cometam &c. dicimus esse in illo signo, Dodecatemorio, Asterismo cœli, quandò sub illo visui nostro apparet, seu, cùm inter oculum nostrum ac tale signum intercipitur. At verò hasce significationes non esse hujus loci, neque Physicas satis manifestum est, quamvis tamen posteriori Astronomi, sensu tamen jam explicato, vulgò utantur.

Et hinc jam abundè constare existimo, quàm parùm accuratè Cartesius omnem locum à determinatione mentis nostræ dependere asserat. Ut ut enim, propter communes loquendi formulas, hoc ipsum aliquandò concedi possit, non tamen hoc ipsum verum esse in sensu Philosophico satis superque ex dictis apparet. Neque enim Philosophorum est spectare, quomodocunque res aliqua à libero nostro arbitrio determinetur, sed quomodò se habeat in rerum natura, ut patet. Deinde, cùm anteà Cartesius Locum sive Spatium nihil aliud esse voluerit, quàm ipsam materiam, nec in re quicquam à corpore diversum nominibus loci aut spatii significari, §. XIII. Utique, si locus à determinatione mentis nostræ dependeat, etiam materiam ab ipsa dependere colligitur, eritque tandem nihil aliud materia, quàm Ens rationis, id est, purum intellectus Cartesiani figmentum.

Constat ergò ex dictis, longè aliud esse corpus aut Ens corporeum, aliud verò spatium sive locum, in quo illud existit; cùmque in eo non minùs extensio rèperiatur quàm in corpore, haud rectè essentiam aut naturam corporis à Cartesio in sola extensione esse positam; neque proinde hanc, quam sibi ipse objecit difficultatem, rectè solutam aut sublatam esse, manifestum evadit.

CAPUT IX.

De Differentia inter Spatium & Locum, ejusque distinctione in internum & externum.

QUam porrò differentiam notat Cartesius Locum inter & Spatium, ea sanè perquam tenuis est. *Differunt autem*, inquit §. XIII. *nomina loci & spatii, quia Locus magis expressè designat situm, quàm magnitudinem aut figuram; & è contra, magis ad has attendimus, cùm loquimur*

mur de spatio. Dicimus enim frequenter, unam rem in locum alterius succedere, quamvis non sit accurate ejusdem magnitudinis, nec figuræ; Sed tunc negamus, illam idem spatium occupare; ac semper cùm ille situs mutatur, dicimus, locum mutari, quamvis eadem magnitudo ac figura permaneat; cùmque dicimus, rem esse in hoc loco, nihil aliud intelligimus, quàm illam obtinere hunc situm inter alias res; & cum addimus, ipsam implere hoc spatium, vel hunc locum, intelligimus prætereà, ipsam esse hujus determinatæ magnitudinis ac figuræ. Utique Locum non designare situm corporis, aut spatium ejusdem magnitudinem aut figuram suprà ostensum est. Et cùm unam rem in locum alterius succedere dicimus, non certè situm illius significamus, nec magnitudinem aut figuram consideramus; sed unum eundémque locum, idémve spatium diversa successivè corpora in se recipere duntaxat indicamus. Unde & suprà locum, spatiúmve & materiam seu corpus plus quàm mentis conceptu aut ratione differre conclusimus. Neque profectò, quæ mea hebetudo est, quænam utriusque in hoc negotio differentia sit, animadvertere potui. Idem enim sunt, succedere in locum alterius, & succedere in spatium alterius; ut & illa, occupare locum, & occupare spatium alterius; nisi quod locus in istis Phrasibus sæpiùs honores aut statum & conditionem alicujus denotare videatur. Neque etiam intelligo, quod ait, semper locum mutari, cùm mutatur situs, quamvis eadem figura permaneat. Cùm enim situs ordinem quendam partium inter se denotet, quomodò, manente corporis figura, situs mutari queat non video. Quid sit porrò, esse in loco aliquo, jam quoque abundè ex dictis manifestum est; adeòque simplici rei in loco existentiâ situs formaliter non designatur, nec Loci notio eum indicat, nec ab eo dependet. Cùm denique Locus & res locata æqualia sint, sicut continens & contentum, utique haud mirum, si habita exacta Loci aut Spatii determinatione, simul etiam habeatur magnitudo atque figura corporis eo contenti. Hæc autem minoris sunt momenti, neque quid hinc sibi conclusum velit Cartesius prorsus intelligo. Si quis tamen præcisè aliquam velit Locum inter & Spatium dari differentiam, dici posset spatii nomen paulò videri generalius, & etiam vacuo attribui, Locum verò solis corporibus; adeòque semper significare spatium in quo corpus est. Spatium itaque est, vel corpore impletum vel destitutum; si impletum sit, Locus dicitur; si destitutum, Vacuum appellatur, de quo infrà.

Deinceps quod sequitur non usque adeò veritati consentaneum est. *Atque ità*, inquit, §. xv. *spatium quidem semper sumimus pro extensione*

in longum, latum & profundum. Ut enim omittam, quæ de extensionis vocabulo suprà notata sunt, illud non nisi corporibus quibusdam, putà extensibilibus propriè attribui posse; hoc solummodò nunc notare visum fuit, quo fundamento asserat Cartesius Spatium semper sumi pro extensione in longum, latum & profundum; hoc enim idem est, ac si dicas Spatium semper significare longitudinem, & profunditatem. Ecquis verò tria hæc unico spatii vocabulo significari docuit? Et quid impedit, quò minùs & distantia inter nos & stellas, aliáve corpora spatium appelletur, absque ullius sive latitudinis, sive profunditatis consideratione. Quemadmodùm & Cicero *Lib.* 11. *de Nat. Deor.* dixit: *stellæ spatiis immutabilibus ab ortu ad occasum commeant.* Similiter & Spatium tempori accommodari solet, ubi quoque nihil aliud quàm longitudinem aut diuturnitatem significat absque ulla latitudinis aut profunditatis sensu, ut notum.

Progreditur Cartesius, & distinctionem quandam Loci satis tritam proponit. *Locum autem*, dicit, *aliquandò consideramus, ut rei, quæ in loco est, internum, & aliquandò ut ipsi externum. Et quidem internus idem planè est quod spatium; externus autem sumi potest pro superficie, quæ proximè ambit locatum.* Distinctio illa inter locum internum & externum, ut ille spatium, hic verò proximam ambientis corporis superficiem denotet, quamvis admitteretur, quid tamen eâ sibi velit Cartesius aut expediat, non video. Quâ, quæso, hinc consequentiâ confecerit, Locum sive externum sive internum nihil in re aliud esse quàm corpus, quod ipsi probandum incumbit? De Spatio jam satis actum, nihilque minùs eo, quàm materiam aut corpus significari luce clariùs demonstratum est. Superficiem quoque ambientis corporis non esse corpus contentum aut ambitum per se constat.

Sed & divisionem ipsam prorsus ineptam esse facili negotio ostendi potest, quia nempe solum Spatium corporis esse Locum ex antedictis est manifestum. Superficiem verò ambientis corporis non esse Locum vel ex eo patet; Primò quia, cùm illa superficies ab ambiente corpore non differat, cum illo à corpore locato separari potest, atque adeò tunc corpus esset sine loco, & ἀπτον sive nusquam, quod est impossibile. Deinde, quia superficies illa cum corpore suo mobilis est, corpore tamen locato immoto in eodem loco manente. Utut enim aër turrim ambiens perpetuò moveatur à vento, aut mutetur, turris tamen in eodem loco constanter permanet. Superficies ergò corporis ambientis nequaquam corporis locus esse potest.

Vanum

Vanum ergò est illud notandum Cartesii, cùm ait: *Per superficiem non hìc intelligi ullam corporis ambientis partem, sed solùm terminum, qui medium est inter ipsum corpus ambiens, & id quod ambitur, quique nihil aliud est quàm modus.* Cùm probè advertat Cartesius superficiem corporis ambientis propriè locum non posse dici, alienam ipsi significationem attribuit, nimirum terminum medium eâ significari vult inter corpus ambiens & ambitum, quem modum appellat. At verò ecquis medium aliquod percipiat inter corpus ambiens & ambitum, cùm se mutuò tangant? Nam ubi aut in quo corpore medium illud erit, in ambiente, an verò in eo quod ambitur? Et si modus, quæro, cujus corporis? Non ambientis, quia sic ab ambiente corpore non differret; adeòque illo remoto, etiam hic modus sive superficies moveretur. Si ergò modum ambiti corporis dixeris, quomodò superficies ambientis vocatur?

Ipse Cartesius huic notando parùm confisus aliud commentus est, nempe per illam corporis ambientis superficiem intelligi ait *superficiem in communi, quæ non sit pars unius corporis magis quàm alterius, sed eadem semper esse censeatur, cùm retinet eandem semper magnitudinem & figuram.* Sed quænam aut ubi est superficies hæc in communi, quæ non sit pars unius corporis magis quàm alterius? Et si non magis unius sit, quàm alterius corporis superficies, quo jure ambientis dicitur? Quomodò item Locus externus, aut qualis hîc à spatio differentia excogitari potest? Deinde, quomodò hæc cum antecedentibus cohærent, ubi corpus ipsum à spatio aut loco in re non differre dixit Cartesius? Quis vel acutissimus mortalium hæc mysteria tam clarè & evidenter percipiat? Certè si per totum annum meditatus fueris, nunquam superficiem corporis ambientis cogitaveris, quæ, corpore ambiente sublato, non auferatur.

Neque hoc Cartesio latuit, sic enim progreditur: *Etsi enim omne corpus ambiens cum sua superficie mutetur; non ideò res quam ambit, locum mutare existimatur, si eundem interim situm servet inter illa externa, quæ tanquam immobilia spectantur. Ut si navim in unam partem à fluminis lapsu, & in contrariam à vento, tam æqualiter impelli supponamus, ut situm suum inter ripas non mutet, facilè aliquis credet, ipsam manere in eodem loco, quamvis omnis superficies ambiens mutetur.* Verissima hæc sunt, quæ hîc dicit Cartesius, verùm quæ ipsius sententiam de superficie directè evertunt. Si enim Locus esset superficies corporis ambientis, utique superficie illa mutata, locum ipsum mutari necessum est. Cùm ergò Locus, fatente ipso Cartesio, propterea non mutetur, utique il-

lam superficiem locum non esse evidenter sequitur. Exemplum quoque navis propter contrarios impulsus hinc inde in eodem loco permanentis, quamvis intereà omnis illius ambiens superficies infernè aquæ, & supernè aëris mutetur, idipsum clarissimè ostendit. Neque, qua ratione aliter ejusmodi navis in eodem loco manere dici possit, video, nisi vel absolutè, quatenus idem Universi spatium retinet; vel etiam relativè, quatenus eandem semper ad inferiorem fluminis fundum, vel ex obliquo ad eandem ripæ seu litoris partem, habitudinem obtinet, ità ut eidem particulæ terræ, quasi perpendiculariter vel ex obliquo affixa censeatur. Simili prorsus ratione in eodem loco dicuntur manere corpora pensilia, quæ de lacunaribus aut tabulatis suspenduntur. Licet enim perpetuò aëris circumfluentis superficie mutentur, in eodem tamen loco esse & quiescere ea asserimus, quod immota easdem semper terræ particulas, eodem prorsus modo ac si iis affixa essent, perpendiculariter respiciant.

Caput X.

Ostenditur non repugnare dari Vacuum.

Ex iis quæ jam de loco abundè disseruimus, simul quid Vacuum sit intelligitur. Quia verò prius, quid Vacui nomine intelligatur, explicandum est, antequàm de ejus possibilitate disputari queat; Utique priori loco notanda veniunt, quæ, §. XVII. à Cartesio differuntur; Deinceps verò progrediemur ad §. XVI. ubi, an vacuum dari repugnet, examinandum erit. De nomine sive significatione vacui sic incipit Cartesius §. XVII. *Et quidem ex vulgi usu per nomen Vacui non solemus significare locum vel spatium in quo nulla planè sit res, sed tantummodò locum in quo nulla sit ex iis rebus, quas in eo esse debere cogitamus. Sic quia urna facta est ad aquas continendas, vacua dicitur, cùm aëre tantùm est plena; Sic nihil est in piscina, licet aquis abundet, si in ea desint pisces; sic inane est navigium, quod comparatum erat ad vehendas merces, si solis arenis, quibus frangat impetus venti, sit onustum; sic denique inane est spatium, in quo nihil est sensibile, quamvis materia creata & per se subsistente plenum sit; quia non solemus considerare, nisi eas res quæ à sensibus attinguntur. Atqui si postea, non attendentes quid per nomina vacui & nihili sit intelligendum, in spatio quod vacuum esse diximus, non modò nihil sensibile, sed omninò nullam rem contineri existimemus; in eundem errorem incidemus, ac si ex eo quod usitatum sit dicere, urnam in qua nihil est nisi aër, vacuam esse, ideò judicaremus, aërem in ea contentum non esse rem subsistentem.*

Vacuum

Vacuum ex usu vulgi non excludere simpliciter & absolutè omne corpus verum est, & rectè à Cartesio observatum; Exempla quoque eo adducta satis sunt perspicua. Quod verò hîc interjectum videtur de materia, quæ non sit sensibilis, suprà quoque ad §. VII. notatum fuit; adeòque, quod hîc addatur, nihil amplius requiri videtur. Quatenus ergò Vacuum sumitur pro spatio, in quo non est corpus aliquod, cui recipiendo destinatum putatur, quin tale detur in rerum natura nullus dubitat. Posletque, meo judicio, distinctionis gratià vocari Vacuum relativum, quia respicitur aliquod corpus, quod illi inesse vel debet, vel debere putatur.

Vacuum autem absolutè sumptum significat spatium, in quo absolutè nullum est corpus. Estque hæc significatio magis Philosophica & hujus loci. Et de hujusmodi Vacuo quæstio hoc loco examinanda venit, scilicet utrùm tale nullum esse in rerum natura possit; seu, utrùm tale vacuum dari repugnet? Prænotandum autem hoc loco, Vacuum quidem excludere omne corpus, non tamen omne Ens, putà immateriale. Præsupponimus enim jam omninò hîc ex Metaphysica, vel etiam ex Theologia, Deum esse infinitum atque immensum, adeòque nullum excogitari posse spatium, in quo non essentialiter existat. Quæstio ergò proposita procedit tantùm de spatio, in quo nullum est corpus, utrùm tale sit possibile, seu absque repugnantia esse possit? Equidem fateor negativam communiter ferè à Philosophorum vulgo, eorum imprimis, qui non ultrà Aristotelem sapiunt, teneri; idque propter communem illum naturæ conatum, quem ad vacuum impediendum ipsam adhibere advertimus. Aquam enim metu vacui ascendere, aërem verò descendere videmus. Meo tamen judicio affirmativa veritati magis est consentanea. Licet enim omninò, secundùm ordinarium naturæ cursum, nullum in inferiori hoc Mundo vacuum existere posse putem, propter rationem jam dictam; nullam tamen me hactenus rationem vidisse fateor, quare, præter aut contrà naturalem sive ordinarium naturæ cursum, Vacuum nullum absolutè sive à creatura, sive à Deo creatore induci non possit. Prætereà, cùm Mundus hic ab æterno non fuerit, utique spatium illud, in quo jam mundus existit, antequam existeret, corporis expers fuisse necesse est. Quemadmodùm etiam, cùm Mundus hic creatus finitus, limitatus atque circumscriptus sit, extrà aut suprà fines Mundi præter Deum nihil esse colligitur.

Sed, ne extrà aut suprà naturæ limites transcendere velle videamur, quamvis generali quodam naturæ conatu propter fugam vacui gravia,

nempe aquam, ascendere, & levia descendere videamus; docet tamen experientia non tamen eam naturæ vim aut conatum infinitum esse, sed certo spatio determinatum. Compertum enim aiunt viri doctissimi, aquam in tubis & antliis supra 18. cubitos attolli non posse. Alii quoque ut vacuum de facto induci posse ostendant, construxerunt tubum vitreum quatuor vel trium duntaxat pedum, ex una parte planè & hermeticè clausum, ex altera patentem. Hic autem, ea qua patet parte, repletur Mercurio sive hydrargyro totus; tùm orificium patens immergitur alteri Mercurio, qui vasculo continetur, quo fit ut nihil nec uno nec altero extremo subingredi possit, cùm unum plenè clausum sit, alterum crassissimo gravissimóque corpori immersum. Quid fit? Descendit nihilominus Mercurius in subjectum vasculum, & effluit non totus, sed ex parte, donec nempe ad altitudinem duorum duntaxat pedum & quadrantis pervenerit, ibi quasi suspensus hæret, partemque tubi superiorem reliquam, quantacumque ea fuerit, se vacuam relinquens.

Novo hoc certè exemplo & spectaculo variorum se exercuere ingenia. Nonnulli quidvis potiùs, quàm vacuum admittere volentes, dixere spatium, quod supra hydrargyrum in tubo vacuum apparet, reverà vacuum non esse, sed repleri vel spiritu hydrargyri, vel etiam aëre seu æthere tenuissimo, cujus subtilissimæ particellæ per vitri poros permeënt ad replendum spatium à Mercurio desertum. Hoc autem ex eo ulteriùs confirmant, quod contentum in parte tubi à Mercurio deserta, calefactum expandat se ac rarescat Mercurium magis deprimendo, quodque luminis radios admittat, ut patet.

Verùm enimverò ad utrumque hoc doctissimè respondet Vir nobilissimus Vossius, in tractatu suo de natura & proprietate Lucis, cap. IX. Et quidem ad primum illud, de spiritu hydrargyri, quo vacuum illud repleri dicunt, respondet: *Hoc si esset, jam pro ratione & copia egredientis ex hydrargyro Spiritus, dilataretur & comprimeretur spatium inane quod minimè fit.* Semper eandem servare altitudinem in tubis istis videmus Mercurium, & distantiam in linea perpendiculari à terra, idque pro ratione loci, in quo existit; ità ut pro altitudine loci magis vel minus semper descendat, ut idem Author docet, cap. XI. Ad alterum verò illud de æthere vel aëre subtilissimo similiter respondet, vitrum poros non habere, cùm fidelissimè eo custodiantur subtilissimi spiritus arte cinislonum extracti. Et si omninò ejusmodi pori admittantur, per quos aër vel æther ille spatium ab hydrargyro relictum ingrediatur, tunc hydrargyrum non posse suspensum hærere illâ, quâ dictum est, mensurâ,

mensurâ, quia nempe deflueret ad æquale libramentum cum hydrargyro in vasculo extra tubum contento. Quemadmodùm enim tubo non benè à parte superiori obturato, & aquâ repleto, omnis continuò aqua deflueret propter ingressum aëris; ità non est dubium, quin si aër, vel æther, vel aliud quodcunque corpus tenuissimum intrare posset, Mercurius summa cum gravitate continuò descenderet, neque in altitudine determinata tam constanter subsistere posset.

Insuper, quod calefacto tubo Mercurius deprimatur, & aliquantùm descendat, contrà verò applicitâ materiâ frigidâ expandat se, & aliquantùm ascendat, ad id idem respondet Vir nobilissimus hoc fieri à calore foris affluente, quo, non contentum vacuo, sed ipsæ hydrargyri partes tenuiores dissolvuntur, quæ dissolutæ & separatæ non totum pervadunt vacuum, sed, quia pondus habent, infrà subsistunt, arctissiméque cohærent hydrargyro, cujus superficiem eatenus disponunt & deprimunt, donec idem sit pondus hydrargyri cum incumbente vapore seu effluvio suo, atque anteà erat solius hydrargyri. Fortè & hoc addi posset, hydrargyrum naturâ suâ esse valde frigidum, adeòque & calori inimicum: Vitro ergò calefacto descendere propter caloris fugam. Illud denique, quod de radiorum admissione additur, solutio patet ex iis, quæ de Natura luminis Philosophati sumus, Philosophiæ nostræ, *Lib.* VII. *Phys. Exerc.* XXXI. Lumen enim intrà vitrum nullum admittimus, cùm illud nuspiam nisi in corpore opaco visibile sit. Per vacuum autem corpus illuminari posse, nequaquam nobis absurdum videtur, ut nostra de Lumine explicatione constat.

Hactenus satis fusè & dilucidè sententiam nostram de Vacuo, ejusque possibilitate explicuimus; audiamus jam quomodò Cartesius in contrarium disputet, §. XVI. *Vacuum*, inquit, *Philosophico more sumptum, hoc est, in quo nulla planè sit substantia, dari non posse, manifestum est, ex eo quod extensio spatii vel loci interni non differat ab extensione corporis. Nam cùm ex hoc solo, quod corpus sit extensum in longum, latum, & profundum, rectè concludamus, illud esse substantiam; quia omninò repugnat, ut nihil sit aliqua extensio: idem etiam de spatio, quod vacuum supponitur, est concludendum; quod nempe cùm in eo sit extensio, necessariò etiam in ipso sit substantia.* Quàm hæc omnia futilia sint, & inepta patet ex antedictis. Nempe universum jam Cartesii fundamentum subversum est. Putat ille nullam extensionem vel potiùs quantitatem posse excogitari absque materia; cúmque spatium quoque absque extensione esse non possit, concludit vacuum, quod sit spatium omnis corporis expers, dari non posse.

Argu-

Argumenta nostra contrà hanc sententiam suprà allata sunt varia, eademque sufficienter confirmata, adeòque ulteriori hujus veritatis demonstratione hîc non est opus.

Quia tamen Cartesius, gravissimo ipsemet præjudicio occupatus & occæcatus, existimat hanc nostram sententiam ex præjudicio quodam inveterato esse ortam, etiam reliqua examinanda veniunt. Sic autem loquitur §. XVIII. *Lapsique sumus ferè omnes à prima ætate in hunc errorem, propterea quod non advertentes, ullam esse inter vas & corpus in eo contentum necessariam conjunctionem; non putavimus, quicquam obstare, quo minùs saltem Deus efficiat, ut corpus, quod vas aliquod replet, inde auferatur, & nullum aliud in ejus locum succedat.* Errorem vocat Vir doctus id, quod jam ratione & experimentis verum esse demonstratum est, scilicet vacuum in rerum natura non esse impossibile. Nulla certè vas inter & corpus eo contentum necessaria fingi potest connexio. Et si unum corpus necessariam cum eo non habeat connexionem, quare aliud? Et quæ ratio majoris necessitatis connexionis cum uno, quàm cum alio? Quid denique obstat, aut quæ repugnantia, quò minùs saltem Deus efficiat, ut corpus, quod vas aliquod replet, inde auferatur, & nullum aliud in ejus locum succedere permittat?

Pergit Cartesius: *Jam autem*, inquit, *ut errorem illum emendemus, considerare oportet, nullam quidem esse connexionem inter vas & hoc vel illud corpus particulare, quod in eo continetur, sed esse maximam & omninò necessariam inter vasis figuram concavam & extensionem in genere sumptam, quæ in ea cavitate debet contineri: Adeò ut non magis repugnet nos concipere montem sine valle, quàm intelligere istam cavitatem absque extensione in ea contenta, vel hanc extensionem absque Substantia quæ sit extensa: quia ut sæpè dictum est, nihili nulla potest esse extensio.* Sed hîc iterum est fœdus ille paralogismus, qui dictur Petitio principii, περὶ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Quæstio est, utrùm corporis essentia in nuda extensione consistat, ità ut corpus nihil aliud sit quàm extensum quid? Affirmat Cartesius. Hanc tamen sibi ipse dubitandi rationem superesse dixit, quod etiam in spatio inani extensio concipiatur, quod tamen non est corpus. Quam difficultatem ut tollat, Spatium illud in re à corpore non differre asseruit. Jam verò, cùm & hîc sibi ipse reponi posse advertat, omne corpus saltem à Deo ex spatio illo tolli posse, nullámque spatium inter & corpus necessariam esse connexionem, sumit non posse extensionem esse aut concipi sine corpore. At verò non gratis sumendum erat Cartesio nullam prorsus extensionem absque corpore cogitari posse. Nos jam multis

multis argumentis hujus sententiæ falsitatem demonstravimus. Similiter & tenebris, & umbræ, & rebus apparentibus, speciebus sive apparentiis in aquis, speculis, aliisque corporibus politis extensio attribui solet; Nemo tamen ea corpora dixerit. Præterea, cùm ipse Cartesius fateatur nullam esse connexionem inter vas & hoc vel illud corpus particulare, explicari mihi velim, cum quali ergò corpore extensio connexionem habeat? Hactenus certè cogitando assequi non possum, quænam sit illa extensio in genere cavitate aliqua contenta, quæ non sit hæc vel illa? Vel an datur fortè corpus aliquod genericum in rerum natura uspiam, quod hoc vel illo particulari deficiente illius locum suppleat? Et quis percipiat corpus aliquo spatio sive cavitate contentum esse extensionem in genere, & non in specie, seu potiùs in individuo hanc vel illam, hujus vel illius corporis definitè? Neque etiam repugnat nos concipere vallem inter duos montes, adeòque & distantiam sive longitudinem inter illos absque corpore aliquo intermedio. Ecquis enim corporum inter se distantiam dum considerat, de materia seu corpore intermedio cogitat? Vastissimum Expansi spatium concipio, siderumque distantiam immensam, utrùm verò omnia illa spatia corporibus repleta sint non ausim affirmare. Similiter ergò & cavitas inter vasis latera, adeòque & extensio absque corpore cogitari potest.

Denique Cartesius probè advertens negari non posse, quin Deus omne corpus ex aliquo vase auferre possit, omnéque aliud ab eo impedire; ipsemet sibi, quid tùm fieret, quæstionem proponit? *Ac proinde*, inquit, *si quæratur quod fiet, si Deus auferat omne corpus quod in aliquo vase continetur, & nullum alind in ablati locum venire permittat? Respondendum est vasis latera sibi invicem hoc ipso fore contigua. Cùm enim inter duo corpora nihil interjacet, necesse est ut se mutuò tangant.* At quis vel acutissimus mortalium hæc capiat? Quomodò enim vasis latera se mutuò tangent, si vas sphæricum fuerit, aut quadratum, aut rotundum? Vel quomodò aliud deinceps corpus posset recipere, si latera contigua sint? Vel, denique quare non posset Deus vas illud, ejusve latera retinere in eodem statu, eadémque figura, & tamen omne ex eo corpus removere? Respondet Cartesius: *Quia manifestè repugnat, ut distent, sive ut inter ipsa sit distantia, & tamen ut ista distantia sit nihil; quia omnis distantia est modus extensionis, & ideò sine substantia extensa esse non potest.* Videtur Cartesius opinari omne non-Ens reale esse nihil, adeòque nondum agnoscere varia illa non-entium genera, de quibus in Metaphysica nostra fusè actum est, Exerc. III. & seqq. Et huc etiam referimus modos,

F nega-

negationes, privationes, &c. Quæ, licet Entia non sint, non tamen propterea omninò nihil esse putandum est. Si ergò de distantia quæratur, quid sit? responderi, meo judicio, posset, eam esse vel negationem vel privationem. Nempe negatio contiguitatis vel propinquitatis est distantia; quæ igitur corpora non sunt contigua vel attigua, inter se vel à se distant. Et quis tàm ineptus sit, ut, cùm dico distantiam τῶ A. & B. esse unius milliarii, corpus aliquod adeò extensum denotari existimet? Stellas, Planetas aliquod milliaria à Terra distare docent Astronomi, quis exinde corpora usque adeò extensa intermedia demonstret? Non quidem aërem intermedium esse nego, at ex distantia idipsum demonstrari posse non percipio. Et, si Deum aërem intermedium tollere vel destruere fingamus, quod sanè possibile esse nemo negaverit (omitto jam, quod multi Mundum hunc universum in judicio extremo penitùs annihilatum iri credant,) nunquid tunc omnia Astra Terræ forent contigua, eámve tangerent, quia nullum intermedium corpus? Atqui hoc impossibile esse vel ex eo apparet, quia globi ejusmodi permagni, quales Astrorum dicuntur, simul globo terrestri, attigui esse non possunt, ut consideranti manifestum est.

CAPUT XI.

Rarefactionem non rectè à Cartesio confirmari ostenditur, & qualis admitti possit.

POstquam ergò me jam Luce clarius ostendisse arbitror corporis naturam non consistere in nuda aliqua vel generica extensione, eámque etiam spatio seu loco & vacuo, aliisque attribui posse, facilè cognoscimus primum hoc Cartesianæ Philosophiæ fundamentum prorsus sublatum esse, & falsum, adeòque haud rectè ex eo confirmari quæ anteà de Rarefactione aut Condensatione dicta sunt. Neque enim quæ vera sunt, falsis hujusmodi ut demonstrentur principiis, opus habent. Et quamvis Rarefactionem Aristotelicam, quæ in ejusdem numero materiæ aut particulæ mutatione, & quantitatis acquisitione consistit, rejiciamus, idem tamen corpus pororum dilatatione aut expansione majorem quantitatem aut magnitudinem acquirere posse, ex iis quæ suprà dicta sunt, est manifestum, & exemplum spongiæ ostendit. Licet igitur natura materiæ corporeæ non consistat in extensione, & vacuum saltem in sublunari hoc mundo naturaliter nullum esse concedamus; adeòque & omne spatium corpore aliquo repletum esse, quo deturbato aliud naturaliter succe-

succedat, libenter fateamur: Aërem tamen rarum, porisque variis, quibus vapores halitusque recipiat instar corbis ferè ex viminibus, vel reticuli funiculis contexti, refertum esse arbitramur, ità ut spatium solo aëre repletum minus materiæ contineat, quàm cùm vaporibus sive halitibus, vel etiam alia solidiori materia repletus existit. Experientia namque docet cubiculum, vel etiam vas quodlibet, undique clausum & obturatum aëre repletum etiam fumos & vapores superingredi posse; quod certè fieri non posset, nisi aërem ejusmodi poris frequentem esse statuamus, siquidem eodem in loco duo corpora esse nequeunt. Crassiora quoque & spongiosa corpora terrestria etiam aquæ ingressu in eorum poros rarefieri posse similiter experientia vel solius spongiæ demonstrat.

Falsum igitur est, quod Cartesius porrò nos cognoscere affirmat; *Fieri non posse, ut aliqua ejus* (corporis) *pars plus spatii occupet una vice, quàm alia, sicque aliter rarefiat, quàm modo ante explicato.* Quamvis enim hoc ipsum concedamus de minimis particulis sive atomis, quas Cartesius non admittit, de quibus mox agendum, de aliis tamen majoribus & compositis partibus falsum est, ut constat ex dictis. Et quid notius, quàm exiguam massæ vitreæ particulam in varias formas vitriariorum operâ extendi, quæ certè majus tunc spatium occupant, quamvis internè tamen plus aëris eas continere fatear. Spongiam quoque aëre vel vaporibus distentam majus spatium implere videmus, & quamvis non alio, quàm modo jam explicato, rarefactio fiat, non tamen propterea idem corpus majus spatium occupare, magisque extensum esse desinit. Similiter & exiguam auri particulam in bracteas tenuissimas, longissimas tamen & latissimas protendere norunt bractearii & aurifices; Ecquis autem laminas illas seu bracteas non magis extensas dixerit, quàm exigua illa auri particula, dum sub exigua illa & contracta forma apparebat?

Ex dictis quoque falsum esse apparet, quod deinceps Cartesius ait, *Fieri non posse, ut plus sit materiæ, sive substantiæ corporeæ in vase, cùm plumbo vel auro vel alio quamtumvis gravi ac duro corpore plenum est, quàm cùm aërem tantùm continet, vacuúmque existimatur.* Certè vas aliquod plumbo vel auro repletum fumum intra se non admittit, quem tamen poculum vel vas aëre refertum admittere experimur; adeòque hæc Cartesi dicta experientiæ manifestè repugnant; unde & eadem clarè distinctéque percipi nequaquam posse manifestum est. Ego quidem sic judico, quo corpus aliquod constiterit materiâ magis solidâ atque compactâ, atomisque minutioribus, eo quoque illius plus eodem spatio determi-

terminato vel vase contentum iri. Et hinc intelligi puto, quare unum corpus magis quàm aliud extendi queat, vel dilatari.

Unde & hoc denique falsum esse apparet, quod sequitur: *Quia partium materiæ quantitas non pendent ab earum gravitate, aut duritie, sed à sola extensione, quæ semper in eodem vase est æqualis.* Nam quid hoc est: *Materiæ quantitas pendet ab extensione*? Quantitas enim & extensio idem sunt Cartesio. An ergò idem pendebit à se-ipso? Quantò accuratiùs in nostra sententia dici posset, Quantitatem ejusve extensionem, quæ modus quidam quantitatis est ab artifice dependere, quatenùs corpora extensibilia variis modis extendere Solet. Quod autem materia in eodem vase semper æqualis maneat, ad rem parùm facit, modò extrà vas majorem quantitatem accipere, magisve extendi possit, ut patet. Utut ergò Rarefactionis à Cartesio explicatæ modus à nobis admittatur, quàm frigidis tamen & infirmis ab ipso confirmetur argumentis jam visum est.

Caput XII.

Atomorum existentia demonstratur.

Quia gravissimam hoc loco, nec non utilissimam simul multorúmque doctissimorum lucubrationibus nobilitatam de Atomis materiam attingit Cartesius, quas vera & genuina omnium corporum naturalium principia seu elementa esse statuimus, à quarum cognitione universa proinde Physica dependet; nostram priùs de Atomis sententiam, quam in Physica nostra latiùs explicuimus, atque ab omnibus adversariorum impugnationibus vindicavimus, paucis proponere, atque demonstrare operæ pretium esse videtur. Deinceps verò, nunquid solidi adversus eam à Cartesio hîc proferatur, diligenter sumus examinaturi.

Primum autem nostrum pro Atomorum existentia argumentum desumitur ex eo, quod infinitus numerus, adeòque & infinitæ particulæ in corpore composito non dantur. Divisionibus ergò crebrò repetitis tandem necessariò perveniendum est ad divisionem ultimam; & consequenter tales particulas, quæ ulterius dividi non possunt. Quia, si ulteriùs dividi possent, ultima nondum divisio fuisset peracta. Prætereà, sic argumentor: Prima vel ultima cuspidis alicujus particula vel est divisibilis vel non; Si posterius, habeo intentum, nimirum dari particulas indivisibiles seu Atomos. Si divisibilem dicas, quæro in quot partes? Et, si multas hîc partes esse dicas, quomodò potest esse prima vel ultima, de quibus quæstio erat instituta? Idem argumentum, de singulis,

secunda,

ſecunda, tertia, quarta, media, aliiſque fieri poſſet. Denique, Corpus aliquod ſive planum ſive ſphæricum tangatur à pyramide, quæro an in particula diviſibili, an verò indiviſibili? Et cùm in diviſibili tangi dicere non poſſis, quia tùm pyramis vera non eſſet, utique in indiviſibili tactionem fieri dicas neceſſe eſt: Dantur ergo in illo corpore particulæ indiviſibiles ſive Atomi, quod erat demonſtrandum. Cùm ergò quælibet corporis compoſiti ſive continui pars à puncto ſeu indiviſibili cuſpide tangi queat, utique nil niſi indiviſibiles ejuſmodi particulas in ipſo exiſtere manifeſtum eſt. Quodlibet ergò corpus compoſitum ex ejuſmodi particulis conflatum eſſe conſequitur.

Demonſtratâ itàque noſtrâ de Atomis doctrinâ, quâ nihil unquam verius in Philoſophia naturali excogitari poteſt, & cujus ignorantiâ tam fœdi ac multiplices in ea errores prognati non tantùm, verùm & ad profundiorem rerum naturalium notitiam via præcluſa eſt; ſiquidem cum nunquam ſcripturam aliquam aut librum probè lecturum manifeſtum eſt, qui literas primáque legendi elementa ignorat: Jam quid contrà eam adferat Carteſius noſter videamus. Sic autem ille procedit §. xx. *Cognoſcimus*, inquit, *etiam, fieri non poſſe ut aliquæ atomi, ſive materiæ partes ex natura ſua indiviſibiles exiſtant.* Error errorem trahit, & unus alterum ſequitur. Nimirùm omne corporeum aut materiale extenſum quid eſſe ſupponit Carteſius, & omne extenſum materiam ſive corpus; adeòque in rerum natura concipi aut cogitari nihil poſſe, quod extenſum non ſit. Quia verò omne extenſum diviſibile, hinc jam nullum indiviſibile eſſe aut dari poſſe concludit. At verò nos jam invictis argumentis probavimus Atomos non tantùm poſſibiles eſſe, verùm & eaſdem reverà exiſtere in rerum natura; &, quod amplius eſt, cuncta corpora naturalia ex iis eſſe conflata. Cùm enim omne compoſitum ex partibus compoſitum ſit, utique partes ut ſic omnes indiviſibiles eſſe conſequitur; id enim quod diviſibile eſt, neceſſariò in partes diviſibile eſt; quod verò in partes diviſibile eſt, ut ſic non partis, ſed totius rationem obtinet, & compoſitum eſt. Partes ergò quâ tales indiviſibiles ſunt. Præthereà, cùm compoſitum partes ſuas actu contineat, (niſi enim actu eas contineret, in eas dividi non poſſet, nec diviſibile eſſet) utique illæ partes numero ſunt finitæ vel infinitæ. Si finitæ, ergò diviſionibus factis & repetitis tandem neceſſariò ad ultimam, adeòque ad indiviſibiles particulas eſt deveniendum, ut & ſuprà dictum eſt. Si partes numero infinitas eſſe dixeris, ergò illud compoſitum nec acceſſione partium augeri, nec ablatione diminui poterit; quia augeri & minui infinito

 repu-

repugnat. Denique, cùm compositum ante sui compositionem compositum non fuerit, quia per compositionem compositum evasit; utique compositum ante sui compositionem res simplices, adeòque & indivisibiles particulas fuisse, ex quarum conjunctione compositum exurgit, manifestum est.

Sed audiamus rationem ob quam fieri non posse existimat Cartesius, ut partes naturâ suâ indivisibiles existant. *Cùm enim*, inquit, *si quæ sint, necessariò debeant esse extensæ, quantumvis parvæ fingantur, possumus adhuc unamquamque ex ipsis in duas aut plures minores cogitatione dividere, ac proinde agnoscere esse divisibiles.* Jam anteà notavimus extensionis vocabulum haud satis accuratè attribui rebus aut corporibus non extensibilibus. Sed jam, ne de voce disputemus, concedamus & hoc Cartesio, Sit extensio quantitas quædam in longum latúmque producta, sive, ut aiunt, trina dimensione prædita; quid tum inde? Atomos esse extensas? Nihil minùs. Utique si extensio quantitatem significet trina dimensione præditam, præterquam quod tunc nec linea nec superficies quantitates essent, nego absolutè Atomos extensas esse; hoc enim jam probandum est, non verò gratis sumendum. Quantitatis vocabulum fortè iis applicari posset, quæ tamen sit indivisibilis; extensionis aut magnitudinis nequaquam. Nam & quæ parva sunt ac minima quantitatem suam habere possunt, non tamen extensionem aut magnitudinem. Falsum quoque & illud, *Nos posse Atomos vel unamquamque ex iis in duas aut plures minores particulas cogitatione dividere.* Atomos enim particulas minimas statuimus, quas proinde ne cogitatione quidem nos minores facere valemus, quandoquidem, hoc ipso minimæ non essent, ut per se patet. Sicuti ergò rem compositam cogitatione nostra non possumus reddere simplicem, ità neque rem simplicem aut indivisibilem cogitatione possumus facere compositam aut divisibilem. Estque aperta contradictio rem quampiam ut minimam concipere, & tamen eam divisibilem statuere, quia hoc ipso quod minima, etiam indivisibilis. Et si cogitatione putarem dividi posse atomum sive particulam indivisibilem, hoc ipso cogitatio mea aut judicium veritati repugnaret, siquidem dividi posse judicarem, quod indivisibile est. Hactenus ergò verum est illud quod Cartesius dicit, *Nihil nos posse cogitatione dividere, quin hoc ipso cognoscamus esse divisibile; atque ideò, si judicaremus idipsum esse indivisibile, judicium nostrum à cognitione dissentiret.* Nempe *cogitatione dividere* ipsi hîc est, cogitare rem aliquam actu & realiter dividi posse, seu habere partes realiter distinctas & separabiles. Alioquin certum est, multa nos

nos mente & ratione dividere aut distinguere, quæ in re distincta aut separabilia non sunt; sed hæc Metaphysicæ potiùs sunt considerationis.

Quod porrò dicit Cartesius, *Etiam si fingamus Deum efficere voluisse, ut aliqua materiæ particula in alias minores dividi non possit, non tamen illam propriè indivisibilem dicendam fore*; id, inquam, omni rationi repugnat. Nam, præterquam quod hoc loco duntaxat agatur de corporibus naturalibus à Deo conditis, non verò de iis, quæ condere possit, mirari subit, quomodò acutissimus hic Philosophus dicere potuerit particulam aliquam non fore indivisibilem, si vel Deus eam talem efficere voluisset, ut in minores dividi non posset; Quod enim ex voluntate Dei in minores dividi nequit particulas, id certè indivisibile esse necesse est.

Sed, pergit Cartesius: *Ut effecerit* (Deus) *eam à nullis creaturis dividi posse, non certè sibi ipsi ejusdem dividendæ facultatem potuit adimere, quia fieri non potest, ut propriam suam potentiam imminuat*. Sed nunquid potentiam Dei diminutam fore non putabimus, si ipsi facultatem negemus, quâ Atomos aut particulas absolutè & naturâ suâ indivisibiles creare possit? Res certè à Deo conditæ sunt istius naturæ, cujus easdem esse voluit. Sicut igitur unus homo singularis in duos dividi absolutè non potest, absque ulla potentiæ divinæ imminutione; ità quoque una indivisibilis particula à Deo condita absque ejusdem potentiæ diminutione in duas aut plures dividi absolutè non potest. Neque proinde Deus indivisibilia creando sibi dividendi facultatem ademit, aut potentiam propriam imminuit, quia ad contradictoria simul facienda nulla unquam potentia fuit in Deo, nec esse potest. Sicut ergò unitati repugnat, ut in plures numeros dividatur, quia sic unitas non esset; ità quoque atomo seu indivisibili repugnat, ut in plures atomos seu indivisibiles particulas dividatur, quia sic atomus aut indivisibilis particula non esset.

Equidem fateor, non sequi corpusculum aliquod à Deo dividi non posse, quia à creatura dividi non potest. At verò, si aliquid à Deo dividi posse statuamus, neque illud eatenus rectè indivisibile dixerimus. Divisibile enim & indivisibile vocabula relativa sunt, & potentiam respiciunt. Si ergò & hoc largiremur, partes in rerum natura dari nullas ratione Dei indivisibiles, quid tum effeceris? Modò sint indivisibiles ratione potentiæ creatæ, nonne & istac ratione indivisibiles appellari poterunt? Nam & ea invisibilia dicere solemus, & imperscrutabilia, quæ ratione nostri (non Dei, cui nihil invisibile aut incognitum esse potest) videri aut investigari non possunt. Posset ergò & hoc concedi, dari ejusmodi

modi in rerum natura particulas aut atomos, quæ ut minores à Deo creari potuerunt, ità & per ejusdem potentiam dividi etiamnum absolutè queant. Quin tamen à Deo & istæ ad indivisibilitatem reduci possint non videtur dubitandum. Sed, quia non agimus de iis, quæ per absolutam potentiam Dei, quæ nobis imperscrutabilis, fieri possunt; verùm de iis, quæ jam facta & condita sunt, corporibus naturalibus, non videtur operæ pretium, ut hisce diutiùs immoremur.

CAPUT XIII.

Mundum non esse indefinitè extensum contrà Cartesium probatur.

SEd & alterum, quod ex dictis suis deducit Consectarium, non minùs, ne quid gravius dicam, falsum est, quo nullos Mundum extensionis suæ fines habere asserit. Ne autem vocabulis perpetuò inhærere necessum sit, extensionis vocabulum accommodabimus ad omne id, quod non est indivisibile, quodque extrà punctum seu spatium indivisibile existere intelligitur. Hoc posito jam ipsum Cartesium differentem audiamus. §. XXI. *Cognoscimus præterea*, inquit, *hunc Mundum sive substantiæ corporeæ universitatem, nullos extensionis suæ fines habere*. Sicuti, fundamento infirmo constituto, universum illi superstructum ædificium vacillare necesse est; perinde &, everso unico hoc de extensionis conceptu Cartesianæ Philosophiæ fundamento, reliqua ipsius asserta, magno tamen à multis cum applausu excepta, ultrò corruere ex hisce percipitur. Equidem, si quælibet extensio formaliter corpus constitueret, non solùm Mundus infinitus foret, ut rectè Cartesius colligit; Verùm etiam Deus, cùm infinitè extensus sive immensus sit, & extensionis suæ terminos non habeat, corporeus esset, juxta illud. 1 Reg. VIII. 27. *Ecce cœli ipsi, & cœli cœlorum non capiunt te.* Quin imò ne tunc quidem quicquam ab ipso, quod extensionem haberet, creari potuisset. At verò, quoniam jam in præcedentibus satis supérque extensionis hoc Cartesianæ figmentum refutatum sit, consectarium quoque hoc nullum agnoscimus, & tanquam falsum rejicimus.

Et reverà, si Mundus, extensionis suæ fines non habeat, utique nec primæ nec ultimæ in eo essent partes; adeòque nec medium esset aut centrum Universi, vel etiam esset ubique. Adde, cum neque majorem, neque minorem à Deo tunc condi potuisse; Non majorem, quia & tùm ultrà ipsius fines perinde ut nunc, similia spatia extensa concipi potuissent. Insuper, cùm idem ante Mundum conditum spatium imaginari

nari possimus, quod jam extra vel ultra Mundum concipitur; utique si spatium ejusve extensio corpus esset, jam ante Mundum conditum infinita corpora aut in infinitum extensa fuissent; quæ omnia, cùm non tantùm sanæ rationi, verùm etiam fidei apertè repugnent, non est quod ulteriùs persequamur.

Sed, inquit Cartesius, *ubicunque fines illos fingamus, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinitè extensa, non modò imaginamur, sed etiam verè imaginabilia, hoc est, realia esse percipimus; ac proinde etiam substantiam corpoream indefinitè extensam in iis contineri.* An igitur extra aut ultra mundi fines, alia datur substantia corporea infinita? Quænam, quæso, substantia hæc corporea est, quæ extra fines Mundi in spatiis imaginariis contineatur? Et si contineatur in spatiis iis, quæ ibi verè imaginamur, quomodò ipsum spatium substantiam corpoream esse asseritur? Sed & hoc ex Cartesio audire velim, unde tandem hujus mysterii notitiam sibi comparaverit, nempe extra hoc nostrum cœlum, aut supra ea, quæ in visum nostrum incurrunt, sidera in infinitum usque Substantias existere corporeas, quæ spatia ista, quæ supra visum nostrum esse imaginamur, repleant. Aut quæ tandem nos asserere cogit necessitas, Deum extra suas creaturas nusquam esse, & materia corporea quasi inclusum esse, aut circumscriptum teneri?

Sed videtur nescio quid subindicare Cartesius particulâ *indefinitè*: Neque enim corpus *infinitè*, sed *indefinitè extensum iis contineri spatiis* asserit. Quid autem hoc rei est, *indefinitè extensum*? Vel enim illud (*indefinitè extensum*) infinitum est, vel non infinitum: Si infinitum, corpus ergò reverà infinitum erit, quod impossibile, ut jam ostensum est. Si non infinitum, ergò finitum. Quorsum ergò nos novo hoc suo vocabulo ludit Cartesius? Quod enim non est infinitum & terminorum expers, finitum est, habetque extensionis suæ terminos seu fines, ultra quos spatia, quæ nobis imaginamur, corporea esse non possunt. Frustrà ergò inter *infinitum* & *indefinitum* distinguere velle videtur Cartesius; Siquidem *indefinitum* nihil aliud hoc loco esse potest, quam id, quod definitis terminis non continetur, quodque proinde finis sit expers, atque adeò verè infinitum est.

Caput XIV.

An eadem sit Cœli, ac Terræ totiusque Mundi materia?

Præterea & aliud ex dictis colligit Cartesius non minus absurdum, Nempe omnium rerum materiam prorsus eandem esse, neque aliam esse posse, si vel infiniti crearentur mundi. Sic enim loquitur §. XXII. *Hincque etiam colligi facile potest, non aliam esse materiam cœli quam terræ: atque omninò si mundi essent infiniti, non posse non illos omnes ex una & eadem materia constare; nec proinde plures, sed unum tantùm, esse posse.* Dolet certè tam præstantem Philosophum, & Philosophicæ libertatis amantissimum, tam turpiter impingere. Nam quid hoc est genus consequentiæ: Si infiniti essent Mundi, omnes eadem constarent materia, Ergò unus tantùm Mundus esse potest. Quis unquam Philosophum dixerit, qui sic argumentetur? Quasi verò, quæ sunt ejusdem materiæ, diversa esse nequeant. Deinde, quis unquam percipiat, haud aliam cœli quam terræ esse materiam? Num ergò materia terrestris obscura, eadem quæ Solis aut Astrorum lucida? An lux idem cum tenebris? Nunquid Deum usque adeò impotentem arbitrabimur, ut non aliam, quam nunc in hoc mundo cernimus, materiam creare potuerit? Profectò, sicuti Deum hæc in specie corpora, hæc animalia, has arbores, plantas, hos homines nulla necessitate, sed ex liberrimo suo arbitrio condidisse credimus; ità quoque ad hanc numero materiam condendam nequaquam adstrictum fuisse novimus. Potuit ergò Deus & alium, & plures condidisse mundos, & aliam materiam, modò ità ipsi visum fuisset; siquidem, teste Apostolo, *omnia operatur ex liberrimo voluntatis suæ consilio Eph.* I. II. Neque quicquam, quod non ex liberrima ipsius voluntate fiat aut existat, excogitari potest; quò spectat & illud *Apoc.* IV. II. *Per voluntatem tuam sunt & creata sunt.*

Sed quæ tandem Cartesium cogit ratio, ut absolutam hanc materiæ necessitatem, aliámque esse non posse, ut neque alios, neque plures mundos, asserat? *Quia*, inquit, *perspicuè intelligimus, illam materiam, cujus natura in eo solo consistit, quod sit substantia extensa, omnia omninò spatia imaginabilia, in quibus alii isti mundi esse deberent, jam occupare.* Nempe hoc est, quod dixi, ipsum Cartesium hoc jam suo præjudicio, & vano de extensione conceptu, usque adeò occupatum esse, ut in gravissimos tandem errores, non rationi tantùm, verùm etiam fidei apertè repugnantes prolapsus sit. Jam enim evidenter demonstravimus, nec materiam

materiam in sola extensione consistere, ut jam ipsam extensam dici posse concedamus; nec eam omnia omninò spatia imaginabilia extra Mundum, quem finitum jam esse ostendimus, limitibusque suis circumscriptum, occupare. Concipe amplissimum hoc Mundi spatium, illudque, quantum volueris, extende, quid vetat, quò minùs spatium concipiamus millies & mille millies hoc nostro majus, in quo totidem proinde, pro infinita sua potentia Deus, mundos creare posset. Ecquis autem jam omninò illa spatia vel quævis imaginabilia absque fine, siquidem immensus est Deus, in quibus mille & plures Mundi creari & existere possent, ab hoc mundo jam omninò occupari somniet?

Prætereà, destruat jam Deus omnia, quæ nunc videmus, astra in cœlo, quod ipsius potentiæ infinitæ non impossibile esse scimus; & hujus jam mundi termini constituantur in cœlo nobis propinquo aut atmosphæra terrestri infra Lunam; nonne tunc Deus iisdem in spatiis, in quibus jam astra existunt, novos, & plures, & alterius naturæ mundos, aut sphæras, aut orbes creare posset? Quis dubitet? Nam quæ ejusdem materiæ creandæ necessitas fingi unquam potest? Sed dicit Cartesius: *Nullius alterius materiæ ideam in nobis reperimus.* Sed primò, posito nullam aliam vel alterius materiæ ideam in nobis reperiri, nunquid exindè nec in Deo, cujus sapientia inexhausta est atque imperscrutabilis, aliam reperiri putabimus? Quæ ratio nos docuit, Similes in Deo, & nobis vermiculis existere rerum ideas? Aut quid nos credere coget, haud aliam à Deo condi posse materiam, quam eam, cujus jam ideam mente nostra percipimus?

Neque tamen id omninò verum est, unius tantùm materiæ ideam in nobis reperiri. Utut enim communis quidam materiæ detur conceptus, sicut & Entis, id sanè non arguit identitatem aut unitatem materiæ in omnibus. Eadem enim ratione & ego evincere possem, unam tantùm eandémque essentiam aut Entitatem in omnibus reperiri, quia communis quidam datur Entis conceptus aut idea, quæ omnibus respondeat. Sicut ergò communis Entis conceptus aut Idea non arguit unitatem aut identitatem essentiarum in omnibus Entibus, quæ existunt; perindè nec unitas illa universalis, vel communis materiæ conceptus, vel idea in mente existens non arguit unitatem vel identitatem materiæ in omnibus corporibus.

Sed quid hîc multis opus est? Nonne resipsa docet aliam esse materiam auri, aliam argenti, aliam ignis, aliam aquæ, aliam aëris, aliam Solis, aliam Lunæ. &c. Quis benè sanus hæc omnia ejusdem esse materiæ existimet?

existimet? Aurum & aurichalcum, Argentum & stannum, figura & colore externo vix differunt, quis tamen eandem utriusque auri & aurichalci, argenti & stanni materiam dixerit? Quis non diversam alimento, ac veneno materiam inesse judicet? Falsum ergò est & illud, quod sequitur in Cartesio, §. XXIII. *Materia itaque in toto universo una & eadem existit; utpote quæ omnis per hoc unum tantùm agnoscitur, quod sit extensa.* Itane verò? Num materia ex hoc uno cognoscitur, quod sit extensa? Cœco hoc fortasse persuaderi poterit, ut pro auro argentum vel plumbum eligat, modo ejusdem sint extensionis, videnti certè nunquam. Ego contrà judico extensionem vix aut parùm facere ad internam rei naturam pervestigandam. Cùm enim extensum esse, secundùm Cartesium, omni corpori sit commune, utique ex eo nihil amplius de materia cognosci posse apparet, quam si Leonem aut Equum cognosci dixeris ex eo, quod sit corpus animatum, aut Animal, aut etiam Ens. Ut ergò conceptus generici non explicant naturam rei, sed generalem duntaxat aliquam formalitatem naturæ inexistentem; ità neque extensio naturam aut quidditatem materiæ aut corporis naturalis explicare potest. Corpora inter se diversa sunt, diversissimæque naturæ ac materiæ, ut jam dictum; ad eorum proinde cognitionem proprietatum cognitio necessaria est, tùm sensibilium, coloris, odoris, saporis, &c. tùm earum imprimis, quæ ratione percipiuntur, cujusmodi sunt virtutes agendi, quæ effectis innotescunt. Si quis quærenti, quid sit aurum, argentum, plumbum, &c. respondeat esse res extensas; Nunquid ipsum naturam istorum corporum explicasse arbitrabimur? Similiter & omnium Entium in toto Universo unam eandémque naturam esse arguere quis posset, & per hoc unum tantùm agnosci, quod existat. Sicut enim tu omne extensum materiam dicis, quamvis falsò; ità egò, & quidem verius, omne existens, Ens appello. Prætereà, cùm, secundùm Cartesium, extensio sit ipsa materia ne quidem ratione ab ea diversa, quomodò tandem per extensionem ea cognosci poterit? Nunquid idem per se ipsum cognoscas? Denique & hoc notandum, quod à nobis jam invictè demonstratum est, nec omne extensum esse materiam, nec omnem materiam esse extensam; siquidem Atomi sive minimæ corporum particulæ extensionem nullam obtinent, quia sunt indivisibiles. Concludo igitur materiam cognosci non per extensionem, sed per proprietates tùm externas, tùm internas sive agendi virtutes, in quibus vera uniuscujusque corporis natura & essentia consistit.

Sed, inquit Cartesius, *omnes proprietates, quas in ea clarè percipimus*, *ad*

ad hoc unum reducuntur quod sit partibilis, & mobilis secundum partes; & proinde capax illarum omnium affectionum, quas ex ejus partium motu sequi posse percipimus. Proprietatis vocabulo nihil aliud hoc loco intelligo, quam id, quod ità alicui inesse intelligitur, ut ab eo separari aut abesse prorsus nequeat; sic facultas ratiocinandi est proprietas hominis, attractiva ferri magnetis, &c. Hoc sensu proprietatem materiæ communem esse existimo, quod sit impenetrabilis; per hanc enim ab aliis omnibus sive Entibus sive non-entibus, quæ materiam non includunt, distinguitur, omníque materiæ & corpori verè & propriè convenit. Plures Spiritus in eodem loco esse non repugnat, at verò materia talis est, ut una vel minima particula in loco alterius esse nequeat; ità ut nihil magis materiæ proprium aut essentiale mihi videatur, quam ita esse in suo loco, ut omnem aliam materiam ex eo excludat. Præterea, cum Atomorum existentia satis supérque jam à nobis demonstrata sit, omnéque corpus crebris divisionibus factis tandem ad minimas particulas redigi sit necesse, utique partibilitatem sive divisibilitatem compositis quidem corporibus convenire manifestum est, non verò simplicibus & Atomis. Non ergò, partibilitas vera est materiæ proprietas generalis, ut Cartesius existimat, sc. ex falsa sua hypothesi, quod materia nihil sit aliud, quam extensum quid. Insuper, divisibilitas nihil aliud esse videtur, quam posse dividi; estque proinde passivum quid, quod cùm nihil ponat in divisibili, sed potentiam potiùs notet in dividente, utique haud satis accuratè proprietas corporis etiam compositi statui videtur; Proprietas enim positivum quid est, adeòque aliquid ponit in subjecto, cujus proprietas dicitur. Similiter neque mobilitas, quæ quidem omni corpori attribui potest, aliud quid esse videtur quam posse moveri, quod non in mobili, sed in Movente duntaxat movendi vim arguit, ut consideranti clarum.

Quamvis autem mobilitas non sit positiva materiæ aut corporis proprietas, quia tamen omni corpori, ejusque particulis convenit, verum est, quod ex ea deducit Cartesius, *materiam capacem esse illarum omnium affectionum, quas ex ejus partium motu sequi posse percipimus.* Nihil quoque unquam verius à Cartesio dictum, quam *partitionem, quæ sola cogitatione fit, nihil mutare*, nempe materiam aut corpus; Est enim conceptus sive cogitatio actio mentis interna, (quam vulgò immanentem vocant) cujus terminus sive effectum proximum menti inhæret, qua proinde extra mentem nullam mutationem rebus adfert. Falsum tamen est, quod mox subjicitur: *Omnem variationem, sive omnium ejus* (materiæ) *formarum diversitatem, pendere à motu.* Equidem si de externa

na duntaxat figuratione corporum, seu figurarum mutatione sermo esset, concedi hoc posset Cartesio. Fatendum quoque nullam corporum naturalium generationem absque motu peragi posse. Variationem tamen etiam ab alteratione absque motu fieri posse, veluti cum ferrum aut lapis molaris frigidus & immotus virtute Solis vel ignis calefit, certum est. Cúmque materia corporum naturalium omnium non sit eadem, ut jam ostensum est; utique ab illius diversitate corporum quoque diversitatem dependere manifestum arbitror. Quod ergò aurum, argentum, plumbum, ferrum, aqua, vinum, &c. differant, certè non motui, formæ, aut figuræ, sed materiæ adscribendum est. Et si omnia corpora æqualiter moveri ponamus, nunquid propterea nulla inter ipsa foret diversitas?

Cúmque Naturam Philosophi dicunt esse *principium motus & quietis*; tunc certè per Naturam non motum ipsum intelligunt, sed principium illud internum, quo corpora naturalia sese movere & quiescere experimur. Nempe videmus corpora naturalia variis mutationibus esse obnoxia, ex semine videmus fieri herbam, quæ crescat, atque in thyrsum, frondes, flores, semen variè discriminetur: dum debitum nacta incrementum cessat augeri, tùm paulatim eam minui videas, donec sensim marcescens arefiat, ac demum intereat. Animantia similiter videre est ex semine prognata crescere, variéque mutari, donec tandem senescentia in interitum facessant; idem de reliquis esto judicium. Internum hocce motus, statusque rerum principium Naturam vocamus, quod à Deo omnium Conditore illud corporibus ab ortu & nativitate inditum sit. Non ergò Natura ipsa motus est in corpore aut quies, sed internum illud, quo se movet corpus & quiescit tandem, principium & causa efficiens.

CAPUT XV.

Utrum præter motum localem nullus alius detur in rerum natura.

PRogredior cum Cartesio ad considerationem Motus. Estque hujus rei cognitio Philosopho inprimis necessaria, siquidem absque eo nulla corporum naturalium nova generatio aut corruptio fieri potest. Cùm enim Atomi, ex quarum compositione corpus naturale generandum est, ante generationem ab invicem sint distinctæ, necessariò motus requiritur, quo particulæ inter se distinctæ in unum locum coëant, & istac ratione unum corpus naturale compositum constituere queant.

De Motu autem sic exorditur Cartesius §. XXIV. *Motus autem, (sc. localis,*

localis, neque enim ullus alius sub cogitationem meam cadit, nec etiam ullum alium in rerum natura fingendum puto) motus, inquam, ut vulgò sumitur, nihil alind est quam actio, qua corpus aliquod ex uno loco in alium migrat. Fateor quidem nullam corporis generationem aut corruptionem absque motu locali intelligi posse; at verò omnia per hunc motum fieri, quæ fiunt in rerum natura non æquè certum est. Nam, ut de Spirituum seu animarum productione in corpore humano nunc taceam, etiam alteratio sine motu fieri potest, & illuminatio, & obtenebratio. Quid enim impedit, quò minus ferrum immotum aut lapis absque ullo motu Soli expositus calefiat? Aut quis motus concipitur in cubiculo meo, cum Solis radiis illius illustrantur parietes, iisdémque iterum privantur?

Pariter quoque incertum est, quod putat Cartesius, alium nisi motum localem in rerum natura nullum esse. Si enim hæc res paulò subtiliùs examinetur, etiam motum absque loci mutatione excogitari posse certum est. Quod vel imprimis verum esse patebit, si locum ex sensu Cartesii ex relatione ad alia corpora determinemus. Si enim ponamus totum hoc Universum à Deo conditum simul continuò moveri, absque omni mutatione situs partium in ipso, movebitur quidem ipsum Universum ex hypothesi, & tamen ipsum propterea loco suo non motum iri manifestum est, quia ad alia corpora novam relationem non accipiet, nec alia corpora vicina aut ambientia haberet. Similiter & de partibus Universi fixis, vel etiam uniuscujusque Totius seu compositi dici posset, eas moveri quidem cum Universo & suo toto, non tamen propterea eas mutari aut moveri suis locis; quemadmodùm dum ambulo, omnia quidem corporis membra externa & interna moventur mecum, haud tamen rectè ea locis suis dimoveri dixeris. Motus ergò absque mutatione Loci cogitari potest. Præterea, ponamus corpus aliquod, putà Solis, immobiliter in loco suo existens, circumvolvi tamen circa suum centrum, constat quidem Solem motum iri circa suum centrum, vel etiam ipsum centrum Solis, absque tamen ulla loci mutatione, ut patet. Motum ergò corporis absque loci mutatione fingi, eóque & corpus alterari & calefieri posse, apparet. Quia tamen hoc motu solo corpus nullum generari existimo, (nisi in quantum ut aliorum motuum causa & principium considerari potest, quia etiam Sol immobilis in suo loco permanens aliorum motuum localium causa esse potest) agedum per motum ad generationem requisitum nullum alium intelligamus, quam qui in mutatione mobilis ratione loci consistit.

Adeòque

Adeòque non rejicienda videtur vulgaris illa motus locatis ſignificatio, qua dicitur *actio, qua corpus aliquod ex uno loco in alium migrat.* Neque enim aliud, quod motus localis ſit excogitari poteſt; breviùs tamen definiri poſſet, Mutatio corporis ratione loci; vel, tranſitus corporis de loco in locum. Cùm verò Locus ſumatur vel abſolutè, vel relativè pro determinato aliquo ſpatio alicui corpori quaſi affixo, ut ſuprà Cap. VIII. docuimus; utique patet & hoc verum eſſe, quod Carteſius hîc notat, *eandem rem dici poſſe & moveri & non moveri.* Scilicet non omnis motus localis eſt, ut jam modò dictum. Unde & intelligitur, eum, qui ſedet in navi immotus, dum ea ſolvit è portu, abſolutè quidem moveri, quatenus de ſpatio continuò tranſit in ſpatium, quieſcere tamen ſeu non moveri ſuo loco relativè, quatenus ſemper eidem particulæ Univerſi, putà Navi quaſi affixus manet. Et licet ſic ex uſu vulgi loqui ſoleamus, ut ait Carteſius, non tamen eò minus verum eſſe deſinit, ut jam ex iis quæ ſuprà de Loco diſſeruimus manifeſtum eſt.

Sed jam, quid magis ex rei veritate per Locum intelligatur à Carteſio audiamus. Sic autem ipſe de hac re diſſerit. §. XXV. *Sed ſi non tam ex vulgi uſu, quam ex rei veritate, conſideremus, quid per motum debeat intelligi, ut aliqua ei determinata figura tribuatur; dicere poſſumus, eſſe tranſlationem unius partis materiæ, ſive unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.* Sed quid hîc aliud quam priori illa deſcriptione, aſſeratur, hactenus non video. Quid enim vicinia illa corporum aliud eſſe poteſt quam Locus relativè ſumptus? Nempe ex vicinia unius corporis, id eſt, ſpatio huic corpori affixo, transfertur corpus in viciniam alterius corporis, id eſt, in ſpatium alteri corpori affixum.

CAPUT XVI.

Definitio Carteſii paulò preſſiùs examinatur.

Quia verò hanc ſuam Motus definitionem priori longè meliorem, adeòque & præferendam exiſtimat Carteſius, agedum, quomodò eam explicet audiamus. Notat autem primò ſe dixiſſe, Motum eſſe tranſlationem, non vim vel actionem, quæ transfert. Deinde ſe addidiſſe ait, tranſlationem fieri ex vicinia corporum contiguorum, in viciniam aliorum, non autem ex uno loco in alium. Et denique tranſlationem illam fieri ex vicinia, non quorumlibet corporum contiguorum, ſed eorum duntaxat, quæ tanquam quieſcentia ſpectantur. Singula ordine

dine examinemus. De primo autem ſic ipſe procedit: *Dico eſſe tranſlationem, non vim vel actionem quæ transfert; ut oſtendam, illum ſemper eſſe in mobili, non in movente, quia hæc duo non ſatis accuratè ſolent diſtingui; ac eſſe duntaxat ejus modum, non rem aliquam ſubſiſtentem, ſicut figura eſt modus rei figuratæ, quies rei quieſcentis.* Si per Motum intelligamus formaliter & præcisè id, quo mobile actu movetur, quod vel eſſentiale mobili vel adventitium eſſe poteſt, fatendum utique ſemper motum in mobili eſſe. Sive enim lapis propria gravitate deſcendat, ſive impetu ipſi à projiciente impreſſo aſcendat, ſemper principium formale iſtius motus in lapide eſt, cum hoc tamen diſcrimine, ut illud innatum ſive naturale ſit lapidi, hoc verò adventitium ſive accidentale, ut patet. Et hac ratione Motum quoque veriùs tranſlationem, vel etiam tranſitum ſive mutationem mobilis, quam actionem dici apparet.

Deinde & hoc verum eſt, Motum præcisè & formaliter ſumptum non eſſe rem quandam ſubſiſtentem; Modum tamen eſſe rei haud dixerim, quia etiam abſque mutatione modi corpus localiter moveri poteſt. Quis enim Solem vel Aſtra, ſi perpetuò ipſa moveri ponamus, continuò propterea modaliter mutari exiſtimet? Similiter nec auri, nec argenti particulam ex loci mutatione modaliter mutatam eſſe apparet. Non ergò Motus Modus eſt duntaxat, ut vult Carteſius. Figura modus eſt rei figuratæ: Quies verò nihil aliud quàm vel ceſſatio vel negatio motus eſſe videtur, Vel etiam permanſio ſeu ſubſiſtentia rei in eodem loco. Nempe, cùm corpus moveri deſinit, aut non movetur, illud quieſcere dicimus. Similiter & illud corpus quieſcere arbitramur, quod immobiliter in determinato aliquo ſpatio, ſeu loco ſuo relativo permanet, licet illud cum univerſa corporum ambientium vicinia in alium locum moveatur.

Ut autem totum hoc negotium rectiùs percipiatur, notandum eſt, ut Locum, ità & quietem ac motum ſumi poſſe, vel abſolutè, vel relativè. Quieſcere abſolutè dicitur, quod immobiliter in eodem ſpatio, ſeu ſpatii particula permanet. Quieſcere verò relativè dicitur, quod permanet in eodem ſpatio relativo, quod alteri corpori quaſi affixum eſt. Similiter & moveri abſolutè dicitur, quod non permanet in eodem ſpatio abſolutè ſic dicto, ſed inde transfertur in aliud; moveri verò relativè, quod non permanet in eodem ſpatio relativo. Exemplo res fiet clarior. Homo in navi dormiens, provehatur motu æquabili cum navi ex una civitate in aliam; Homo iſte dici poſſet & moveri & quieſcere, & non quieſcere & non moveri ſimul. Quieſcere ipſum dicemus & non moveri relativè, quatenus in eodem navis loco, ſeu ſpatio eidem parti navis

quasi affixo immobilis permanet. Non quiescere verò ipsum & moveri dicemus absolutè, quatenus in & cum navi ex una spatii immobilis particula transit in aliam. Et hinc patet, Quietem non tantùm dici posse Negationem vel privationem motus, quamvis ità sæpè loqui soleamus, verùm etiam, ut rectè Cartesius, Modum quendam rei quiescentis, quo in eodem loco seu Ubi permanere intelligitur. Motus tamen non satis accuratè Modus dici posse videtur, quia est ipsissima moventis seu virtutis motricis (quæ vel innata vel aliunde impressa esse potest) actio, quâ transit de loco in locum. Modus autem non tam intrinsecè rem afficit, sed extrinsecè duntaxat eam quasi modificat, ut sessio, statio, &c.

Ut tamen suam hanc opinionem confirmet Cartesius, notandum esse ait, §. XXVI. *nos magno in hoc præjudicio laborare, quod plus actionis ad motum requiri arbitremur, quàm ad quietem.* Equidem, quid hæc consideratio ad præsens faciat negotium, fateor me non capere; sive enim plus sive minus sive tantundem actionis requiratur ad quietem, quàm ad motum, quid inde concludas? Ego quidem sic judico, non minori potentia opus esse ad quietem inducendam in ea, quæ naturâ suâ moventur, quàm ad motum eorum, quæ naturâ suâ quiescunt. Neque enim minor potentia requiritur ad cursum Solis sistendum, si moveri ipsum ponamus, quàm ad motum ciendum, si ipsum in loco suo immobilem putemus. Interim & hoc notandum est, corpora naturâ suâ quiescentia & locis suis permanentia, ut lapides in terra, per se quiescere, & absque vi motrice ejusve actione moveri non posse, mota verò tandem iterum per se ad quietem reversura. Cùm enim impetus, quo hujusmodi corpora moventur, sit accidens, & verò accidentia, ut ex nihilo fiunt, ità & in nihilum abeant, utique & corpora naturaliter quiescentia suo loco, si moveantur, ultrò tandem ad quietem suam reversura intelligitur. Si autem quæstio moveatur de eodem mobili, Ex. gr. hoc globo, si moveatur per terram; concedo ad cursum vel motum illius sistendum tantundem requiri potentiæ, ac in ipso ipsius resistentiæ puncto impetus ipsi est reliquum. Si enim minor in corpore resistente sit potentia vel vis resistens, motus omnis non tolletur, ut patet.

At verò, nunquid hinc colligitur Motum esse modum duntaxat? Nihil minus. At, inquit Cartesius, §. XXVII. *manifestum est, hoc corpus*, nempe translatum, *alio modo se habere, cum transfertur, & alio cum non transfertur, sive cum quiescit: adeò ut motus & quies nihil aliud in eo sint, quàm duo diversi modi.* Verùm negatur primò consequentia. Homo cæcus alio se habet modo quam visu præditus, & doctus alio se habet

habet modo quàm indoctus, quis tamen exinde cæcitatem vel visum, doctrinam vel ejusdem carentiam duntaxat modos esse dixerit? Deinde, nec hoc adeò certum est, mobile motum semper alio se habere modo quàm immotum aut quiescens; sive enim Solem moveri putes, sive immobilem ponas in loco sibi à Deo assignato, eodem se habebit modo, neque hinc ulla modalis in ipso mutatio argui posset.


Alterum in Definitione Cartesii notandum erat, quod dixerat Motum esse *translationem ex vicinia corporum contiguorum in viciniam aliorum, non autem ex uno loco in alium.* Et quare? *Quia*, inquit §. XXVIII. *Loci acceptio varia est, ac pendet à nostra cogitatione.* Sed si Locum sumamus pro eo spatio, quod à libera mentis nostræ actione determinatur, ut aliquandò sumi suprà Cap. VIII. notatum est, nonne & eodem modo de Vicinia Philosophari possumus? Nonne & illa diversimodè à mente determinari potest? Deinde, Locum magis Philosophicè sumptum non pendere à libera mentis determinatione satis constat ex dictis; siquidem Locus semper est spatium illud, in quo corpus existit, quamvis relativè communiter spectari soleat illud spatium, quod alteri corpori quasi affixum est. Denique, quid per viciniam hanc corporum contiguorum aliud intelligi potest, quàm corpora circumstantia sive circumcingentia? At illa corpora circumstantia non sunt locus, sed spatium potiùs, quod inter illa corpora interjectum esse intelligitur, locus est. Accedit, quod omnia corpora illa circumstantia, adeòque tota corporum vicinia, tolli possint, immoto tamen manente corpore in suo loco. Nam quid si omnia corpora circumstantia à Deo annihilari ponamus, nunquid proptereà corpus illud in loco suo esse desinet? Vicinia ergò corporum proximè contiguorum absolutè Locus dici nequit; adeòque nec satis accuratè Motus per translationem ex vicinia corporum proximè contiguorum explicari à Cartesio videtur.

Vanum ergò & illud est, quod se denique addidisse dicit, *translationem illam fieri ex vicinia, non quorumlibet corporum contiguorum, sed eorum duntaxat, quæ tanquam quiescentia spectantur.* Nam, quid hoc est, *corpora contigua spectantur tanquam quiescentia?* Vel enim ista corpora verè quiescentia sunt, vel non: Si verè quiescentia sint, quid opus est, ut in definitione addatur, ea ut talia spectari? Quidve ad rei explicationem facit, quomodò ipsa à mente nostra spectentur? Mentis certè oculus nullam rei mutationem infert. Si verò illa corpora quiescentia non sint, quomodò ut talia verè spectari aut judicari possunt? Certè, qui res motas, ut immotas aspicit, fallitur; adeòque nihil veri ex tali judicio ex-

ſpectandum eſt. Si tu aërem turrem hanc proximè ambientem, eive contiguum ut quieſcentem ſpectes, Ego ut moventem ſpecto, quid jam ex tuo iſtoc falſo judicio conficias? Aut quomodò mihi Loci naturam claram aut perſpicuam reddideris, ſi ex falſo tuo judicio eum mihi explicare fueris aggreſſus?

Ecquid verò abſurdius unquam cogitari potuit, quàm ſtatuere *tranſlationem eſſe reciprocam*, quod hîc ait Carteſius, *nec poſſe intelligi corpus A B. transferri ex vicinia corporis C D. quin ſimul etiam intelligatur corpus C D transferri ex vicinia corporis A B: Ac planè eandem vim & actionem requiri ex una parte atque ex altera.* Ecquis enim unquam uſque adeò inſanierit, ut, alterutro duorum corporum contiguorum moto, ſimul utrumque moveri exiſtimet? Mirum, ni qui ſic ſentiat, vel ad motum pedis ſui ſimul & univerſum Mundum, cui inſiſtit, moveri arbitretur; Nam, dum ipſe movetur in occidentem, pars illa terræ, in qua ſubſiſtebas, movebitur verſus orientem. Similiter, ſi quis urbes turreſque prætererit, non tantùm ipſum, verùm etiam turres urbeſque moveri cum ipſo dicendum erit; juxta illud:

Provehimur portu; terraque urbeſque recedunt.



Si quis ergò moveret corpus A B verſus E, non propterea moveretur corpus C D verſus H. quia eodem in ſpatio inter G & H. interjecto, permaneret. Falſum, ergò & illud, eandem planè vim & actionem requiri ex una parte, atque ex altera; Quia nulla vis nova aut actio in corpore CD, quod non movetur, cogitari aut intelligi poteſt, cùm tantùm A B moveri ſupponamus. Tranſlatio ergò non eſt reciproca, nec ex tranſlatione unius ſequitur tranſlatio alterius, ut patet.

Ipſe itaque Carteſius hanc ſententiam nimium à communi loquendi uſu (at quare non potiùs ab ipſa rei veritate?) abhorrere probè advertens, non ad cujuſvis terræ partis motionem terram moveri debere docet. *Cùm enim*, inquit, *aſſueti ſimus ſtare in terra, eámque ut quieſcentem conſiderare*,

derare, quamvis aliquas ejus partes aliis minoribus corporibus contiguas ab eorum vicinia transferri videamus, non tamen ipsam ideò moveri putamus. Utrum Terra in universi centro immota persistat, necne, jam non disputamus. Hoc tamen in sententia Copernici certum est, Nullius rei aut corporis in terra quietem absolutam aut immobilitatem nos imaginari posse; Siquidem ad motum totius, singulas quoque partes absolutè moveri, necessum est. Quia verò Locus plerumque solet accipi relativè, ut suprà notatum est, utique non terram, de cujus motu aut quiete non cogitatur, sed corpora vel homines in Terra moveri vulgò dicere solemus, quotiescunque certo ex aliquo Terræ spatio, in quo existebant, egrediuntur aut trans-feruntur. Et si vel omninò Terram ut mobilem & moveri actu consideraremus, non tamen propterea alia corpora, aut partes terræ affixas moveri aut motum iri sequeretur; quia nempe istæ partes in eodem tamen loco relativè sumpto immobiles permanerent. Quemadmodùm etiam suprà Cap. VIII. dictum est, ad motum totius navis omnes illius partes clavos aut asseres loco suo moveri non sequitur, cùm semper in eodem navis spatio immobiliter permaneant.


Et reverà, si corporum contiguorum moto uno A B versus orientem, simul moveretur & aliud C D versus occidentem, & propter illam separationem tantundem esset motus in uno ac in altero, sequeretur propter eandem rationem corpus C D. moveri versus orientem, si nempe tertium corpus ab H. moveretur in G. Præterea, si quoque corpus ex H. moveri ponamus versus septentrionem in F. dicendum quoque C D motum iri versus Austrum; Et si quoque aliud ab E. moveretur versus Austrum in G. corpus C D. movere- tur quoque in Septentrionem; Ac proinde idem corpus immobiliter loco suo existens, eidemque terræ spatio affixum simul & quiesceret, & in omnes plagas terræ moveretur. Quæ omnia, cùm absurda sint, manifestum evadit, vicinorum corporum translationem



motum in corpore non arguere, & corpus aliquod posse esse immobile, etiamsi alia corpora contigua sibi vel vicina accipiat. Mirum ergò est, quod nos hîc velit recordari Cartesius §. XXX. *id omne, quod reale est ac positivum, in corporibus quæ moventur, propter quod moveri dicuntur, reperiri etiam in aliis ipsorum contiguis, quæ tamen ut quiescentia tantùm spectantur.* Id enim quo corpus actu movetur est aliquid ipsi impressum sive à natura, sive à movente externo; Ecquis verò omnibus aliis corporibus contiguis & quiescentibus tale quid impressum esse dixerit? Si imprimatur aliquid corpori A B. quo moveatur versus Orientem, nunquid propterea aliquid corpori C D imprimi putabimus, quo moveatur in Occidentem? Quis sanus ità Philosophetur?

Cúmque in Universo continuò diversi contrariique motus reperiantur, utique & omnia corpora perpetuò multis, iisdémque sibi mutuò contrariis, motibus repleta esse, & moveri consequeretur, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, &c. Agnoscit quoque hanc sequelam Cartesius, §. XXXI. *Etsi autem*, inquit, *unumquodque corpus habeat tantùm unum motum sibi proprium, quoniam ab unis tantùm corporibus sibi contiguis & quiescentibus recedere intelligitur, participare tamen etiam potest ex aliis innumeris, si nempe sit pars aliorum corporum alios motus habentium. Ut si ambulans in navi horologium in pera gestet, ejus horologii rotulæ unico tantùm motu sibi proprio movebuntur, sed participabunt etiam ex alio quatenus adjunctæ homini ambulanti unam cum illo materiæ partem component, & ex alio quatenus erunt adjunctæ navigio in mari fluctuanti, & ex alio quatenus adjunctæ ipsi mari, & denique alio quatenus adjunctæ ipsi terræ, siquidem tota terra moveatur: Omnesque hi motus reverà erunt in rotulis istis; sed quia non facilè tam multi simul intelligi, nec etiam omnes agnosci possunt, sufficiet unicum illum qui proprius est cujusque corporis, in ipso considerare.* Fateor quidem diversos in uno eodémque corpore motus considerari posse, ut exemplo allato satis manifestum videtur? at verò nego istos motus oriri ex contiguitate corporum. Non sanè contiguitas istorum corporum causa variorum motuum censenda est, sed motus vel impetus istis corporibus impressi, qui similes aliis sibi contiguis imprimunt, quemadmodum corpus calidum calorem in corpore alio sibi contiguo producit. Sicuti ergò corpus, si ab una parte connexum sibi habeat corpus frigidum, ab alia verò parte calidum, ab uno quidem frigefieri, ab alio verò calefieri, adeòque contrarias qualitates, ex quibus mixta quædam oriatur, quæ tepor dicitur, suscipere potest; ità quoque corpus mobile, si ab uno moveatur versus Orien-
tem;

tem, ab alio versus aliam partem, putà Austrum vel Septentrionem, mixtum quendam quasi motum accipiet; qui tamen pro uno ac simplici motu haberi potest. Imprimis, si unumquodque corporis punctum, quod movetur, unam tantùm aliquam lineam motu suo describere cogitemus, ut rectè quoque à Cartesio notatur §. xxxii. Ex. gr. Corpus aliquod ab A. moveatur versus Orientem B. & simul ab alia causa moveatur versus Austrum C. manifestum est, quod corpus illud suo motu describet lineam A D. Ubi notandum hujusmodi lineam describi à qualibet corporis mobilis particula. Unde, si hoc negotium paulò subtilius expendatur, cùm corpus naturale variis & innumeris constet particulis seu atomis, & verò ex Atomi unius ductu oriatur Linea, utique ad motum corporis cujusque singulas quoque illius particulas seu atomos moveri certum est; unde &, pro numero atomorum seu particularum, totidem ab eo corpore lineas describi imaginari nobis possumus. Discrimen quoque linearum, adeòque & motuum facilè adverti poterit, si modò ad globum circulariter motum circa suum centrum attendamus. Manifestum enim est particulas centro propiores minores circulos descripturas, & quò remotiores, eò quoque circulos majores fore. Et si per planum moveatur à centro rectam duntaxat lineam descriptum iri, à reliquis verò spirales, gibbosas, curvas, &c.



CAPUT XVII.

An omnis Motus fiat per circulum?

PErgit Cartesius, & ex eo, quod omnia Loca corporibus plena esse notaverat, sempérque easdem materiæ partes æqualibus locis coæquari, aliud Consectarium deducit §. xxxiii. sc. *Nullum corpus moveri posse nisi per circulum, ità scilicet, ut aliud aliquod corpus ex loco quem ingreditur expellat, hocque rursus aliud, usque ad ultimum, quod in locum à primo derelictum, eodem temporis momento, quo derelictum est ingrediatur.* Fatendum sanè est, si omnia absolutè spatia mundana corporibus

de aëre notatum, eum esse corpus non tantùm tenuissimum, verùm etiam rarissimum & porosum, ità ut in ipso omnium aliorum corporum motus facillimè terminari & finiri queant. Nempe unâ aëris particulâ motâ, non necesse est omnes propterea illius particulas motum iri, sic enim vel minimus motus in infinitum extendendus foret, sed paulatim ille motus pro natura accidentium desinit. Exemplo spongiæ hoc manifestum est. Neque enim, prioribus spongiæ particulis leviter motis vel pressis, necessum est ut reliquæ omnes sequentes in linea recta moveantur; quia particulæ priores, propter poros dissitæ, isto motu duntaxat vel pressione fiunt propinquiores, aëre scilicet vel aqua ex iis expulso. Ubi tamen notandum est, ut particulæ spongiæ post pressionem mox ad locum suum redeunt, aërémque iterum poris suis recipit; perinde & aërem premi quidem posse ad angustius spatium, semper tamen ad pristinum suum locum aut naturalem amplitudinem redeundi conatum habere, & tunc similiter fumum, vapores, & exhalationes poris suis recipere posse. Sic cubiculum vel conclave aëre repletum fumum insuper & vapores in se recipere, iisque impleri videmus, quod absque ejusmodi in aëre poris fieri non posset. Quemadmodùm vas aquâ plenum, licet quoque corpus sit fluidum, tamen propter hujusmodi pororum defectum fumum aut exhalationes non recipit. Et ne, cum ingressu hujusmodi exhalationum aut fumi in cubiculum, aërem egredi existimes, notandum est, etiam fumum posse causari in vase vel lagena vitrea optimè obthurata & clausa. Deinde, cùm jam extra cubiculum omnia spatia aëre repleta sint, nullus sanè extra cubiculum locus aëri egredienti recipiendo foret, si porosus non esset, vel ad angustius spatium comprimi prorsus nequiret.

Posito motu circulari etiam per circulos inæquales, colligit deinceps Cartesius divisionem materiæ in partes infinitas; quod si minimas dixisset, rem acu tetigisset. Posito enim motu mobilis vel corporis alicujus per spatium aliquod continuò angustiùs protensum, utique à mobili istoc vel corpore continuò separentur particulæ minimæ, quò progredi possit, necessum est; adeòque & dari Atomos sive particulas reverà minimas consequitur. Sed ipsum Cartesium audiamus. *Fatendum*, inquit §. XXXIV. *est, in motu isto aliquid reperiri, quod mens quidem nostra percipit esse verum, sed tamen, quo pacto fiat, non comprehendit, nempe divisionem quarundam particularum materiæ in infinitum, sive indefinitum, atque in tot partes, ut nullam cogitatione determinare possimus tam exiguam, quin intelligamus, ipsam in alias adhuc minores reipsa esse divisam.*

Equidem quod hîc incomprehensibile sibi ait Cartesius, & tamen verum esse mens percipiat, neque à me comprehendi aut percipi posse lubens fateor. Ecquis enim capiat particulas materiæ in infinitum sive indefinitum esse divisas, sive in tot partes, támque exiguas, quin adhuc in minores reipsa divisæ intelligantur? Nimirum, cùm præjudicio hoc occupatus sit Cartesius, (sc. particulas individuas aut minimas, quas Atomos vocamus, non dari in rerum natura, aut dari posse) in labyrinthum hunc incidisse ipsum, unde se expedire nequeat, certum est. Si Atomos dari, quo nihil unquam verius in Philosophia dici potest, agnovisset, in hasce nunquam sibi inexplicabiles tricas fuisset prolapsus. Et cùm nihil in Philosophia statui velit, quod non clarè & distinctè verum esse perceperimus, mirandum sanè, quod in ipso hoc suæ Philosophiæ vestibulo velit credi, quod ipsemet incomprehensibile sibi fatendum ait. Sed quis vel acutissimus percipiat aut credat partes cogitatione minimas in alias adhuc minores reipsa divisas esse? Hæc enim apertè repugnant. Quod enim cogitatione mentis ut maximè exiguum sive minimum determinatum est, eadem cogitatione ut minus aut divisibile, aut actu divisum percipi non potest. Hoc namque esset cogitare aliquid esse minimum & non minimum, ut evidens.

Quantò ergò nos clariùs, ut infinitum in rerum natura numerum non dari posse percipimus, ità & particulas corporum actu infinitas nequaquam dari posse evidentissima ratione demonstramus; quia nempe in corporum divisionibus crebrò repetitis tandem necessario ad ultimam deveniendum est, quâ positâ necessariò quoque particulas divisas minimas esse atque indivisibiles consequitur, ut suprà Cap. XII. ostensum est. Et profectò, cùm ex suis ipsius assertis sequi statuat Cartesius, nullam partem adeò esse exiguam, quin intelligamus ipsam in alias adhuc minores reipsa divisam esse; nonne in promptu est colligere, ipsum & minimarum particularum existentiam vel invitum agnovisse, cùm alioquin vanum esset, quicquid jam de motu suo circulari erat Philosophatus. Monendum tamen hîc est, nos ad Atomorum existentiam demonstrandam hujusmodi collectione opus non habere. Et licet in corpore atomos sive particulas indivisibiles statuamus, easdem tamen numero finitas esse asserimus, quamvis ratione nostri, propter nimiam exilitatem, innumerabiles, & propter multitudinem innumeræ, dici queant; quomodò & arena maris, & astrorum numerus, qui tamen in se definitus, innumerabilis S. literis nuncupatur.

Deinde & hoc notandum est, ut magna ità & minima corpuscula deter-

ter-

terminata sua in mundo seu spatio mundi habere spatiola, in quibus existant. Nempe, ut de majoribus, ità & de minoribus & minimis tùm corporum, tùm loci sive spatii, atque temporis particulis Philosophandum esse arbitramur. Falsa ergò & illa sunt, quæ Cartesius narrat de spatio, & spatiis innumeris gradibus minoribus. Si enim essent spatia, quæ innumeris gradibus aliquo essent minora, qui tandem illud spatium posset pertransiri? Et quomodò per infinitos illos gradus possit unquam vel imaginando perveniri ad finem? Profectò, sicut numerando nemo unquam ad infinitum numerum perventurus est, ità quoque corpus movendo per spatia minima nunquam ad infinitum eorum numerum perveniret, adeòque nec spatium illud, in quo spatia infinitis gradibus minora finguntur, pertransibit.

Hisce ergò de infinitis sive particulis, sive divisionibus, sive spatiolis, sive spatii gradibus rejectis, unicum adhuc hîc notandum videtur, quod Cartesius distinguit inter *infinitum* & *indefinitum*, (scilicet, ut suprà §. XXI. quoque Mundum dicebat esse *indefinitè extensum*) videturque malle, quam hîc fingit divisionem, appellare *indefinitam*, quàm *infinitam*. Intellexit procul dubio Vir acutissimus, divisionem infinitam esse impossibilem, & contradictionem involvere, eam proinde difficultatem ut evaderet, *indefinitam* appellare maluit. Sed hæc consideratio vana est. Ista enim, quocunque tandem nomine vocitetur, divisio indefinita divisiones continet vel numero infinitas, vel non. Si infinitas dixeris, quæro quomodò finiri queat? Numerus enim infinitus non potest pertransiri, & qui transitur, hoc ipso infinitus non est. Si ergò divisiones sint finitæ, sive si divisionum numerus finitus sit & finem habeat, quare non finitam divisionem vocat Cartesius? Concludimus igitur divisionem in indefinitum nullam esse, & non dari in rerum natura, aliámque quàm finitam excogitari non posse. Sed de hisce, adeòque & de Principiis Cartesianæ Philosophiæ dicta sufficiant.

CAPUT XVIII.
De Causa prima Motus.

PRogreditur deinceps Cartesius ad considerationem Causæ, de qua sic loquitur, §. XXXVI. *Motus naturâ sic animadversâ, considerare oportet ejus causam, eámque duplicem: Primò scilicet universalem & primariam, quæ est causa generalis omnium motuum, qui sunt in mundo; ac deinde particularem, à qua fit, ut singulæ materiæ partes motus, quos*

 prius

prius non habuerunt, acquirant. Communis quidem hæc est Causæ distributio in Universalem & Particularem. Universalem vocant, quæ eâdem efficientiâ cum aliis causis concurrit ad plura effecta; Particularem verò, quæ suâ efficientiâ tantùm unum effectum producit. Hæc tamen divisio semper mihi, ut verum fatear, suspecta fuit, & multis modis inutilis visa. Nam primò, per hanc divisionem Deus nunquam Causa particularis appellari posset, cùm semper ad varios effectus producendos cum creaturis suis concurrat. Adde, non satis tutum videri, Deum alicujus effecti statuere causam universalem, & non particularem, cùm particulari suo influxu quælibet effecta attingat. Neque etiam sufficiens videtur esse ratio, quare homo dicatur Causa particularis hominis à se geniti fortè ex ignorantia & præter intentionem, & non ædificii à se extructi, aut libri à se compositi ex prævio mentis consilio. Præterea, si Causa universalis dicenda sit, quæ ad plura effecta concurrit, omnes ferè Causæ universales erunt; sic Rex erit Causa universalis omnium eorum, quæ à suis ministris ex ipsius imperio peraguntur; Petrus erit Causa universalis diversarum actionum, putà volitionis, intellectionis, locutionis, ambulationis, &c.

Quod si quispiam per Causam universalem intelligat, quæ unico duntaxat eodémque influxu cum causis particularibus sibi subordinatis concurrit ad plures effectus, quatenus nempe ille influxus à diversis causis subordinatis, ad varios & particulares effectus pro ratione naturæ suæ, determinatur; quemadmodùm eodem flatu omnes organi tubos impleri videmus, qui tamen singuli diversum sonum efficiunt: Respondeo, hoc sensu etsi concedi possit in rebus creatis quasdam esse causas universales, quæ sæpissimè uno eodémque influxu ad varios effectus concurrant, ut exemplo allato constat; Nunquam tamen Deum istac ratione Causam universalem dixerim: quia influxus ejus à nulla creatura determinabilis est; ipse verò omnes causas secundas, tanquam creaturas sibi subordinatas, ad effecta sua efficaciter determinat, atque præmovet, juxta, illud Prophetæ: *Ecquo dicente existit aliquid, si Dominus non præceperit? Thren.* III. 37. Influxum itaque Dei indifferentem, & à creaturis determinabilem, quem nonnulli statuunt, nullum admittimus. Si tamen per influxum illum Dei generalem intelligamus vim illam conservatricem, quâ omnes creaturas efficaciter in suo esse conservat Deus, quomodò & Sol continuo influxu calorem in aëre, & secundùm plerosque lumen, conservat; quo sensu Causam universalem explicare videtur Cartesius, influxus universalis admitti fortè posset. Præstaret tamen,

tamen, ad ambiguitatem vitandam, Causam universalem appellare primam & independentem, quæ absolutè omnium motuum particularium sit causa; Particularem verò secundam & dependentem, quæ hujus aut illius particularis motus tantummodò causa sit. Quamvis ne sic quidem bonæ divisionis leges observentur, quarum una, quod membra dividentia semper inter se debeant esse opposita aut ab invicem distincta, hæc verò sibi invicem sint subordinata. Deus enim omnium particularium motuum & actionum causa est.

Sed ipsum Cartesium porrò differentem audiamus: *Et generalem causam*, inquit, *quod attinet, manifestum mihi videtur illam non aliam esse, quàm Deum ipsum, qui materiam simul cum motu & quiete in principio creavit, jamque per solum suum concursum ordinarium tantundem motus & quietis in eâ totâ, quantum tunc posuit, conservat.* Verissimum hoc quidem est, quod docet Cartesius, Causam primam haud aliam esse quàm Deum ipsum, qui infinitâ suâ potentiâ Cœlos & terram, omniáque quæ in iis entia existunt, adeòque omnem rerum naturalium materiam ex nihilo condidit, easdémque res conditas potenter conservat. At verò, qua ratione hoc ipsum à Cartesio hîc demonstretur, non liquet. Et quamvis omninò existentiam Dei hoc loco ex Metaphysica & Theologia naturali præsupponamus, haud tamen adeò manifestum videtur, Deum illum esse omnium rerum, motusque & quietis earum causam primam; Multò adhuc minùs manifestum est, Deum in principio cum materia omnem motum & quietem creasse; Et adhuc obscurius, tantundem motus & quietis nunc esse & conservari in materia, quantum ab initio in ea tunc posuit Deus, idque per ordinarium suum concursum. Hæc ergò singulatim examinanda sunt.

Præsuppositâ igitur Existentiâ Dei, prima quæstio est, Utrum Deus sit causa prima omnis materiæ corporeæ, nec non motus & quietis in ipsa; vel, An Deus in principio omnem materiam cum motu & quiete creaverit. Ego quidem sic existimo, ne unicam quidem vel minimam materiæ particulam sive atomum à creaturis produci posse, ac proinde non nisi creationis virtute ex nihilo potuisse condi. Probatur hæc sententia, quia atomi sunt entia simplicia, quæ non nisi ex nihilo produci possunt. Nam ens simplex ante sui productionem aut erat, aut non erat. Si erat, non fit aut producitur; quorsum enim vel quomodò produceretur id, quod jam omninò est aut existit? Si non erat, ergò antequam fieret aut produceretur erat nihil; quod enim non est, nihil est; ac proinde atomus producitur ex nihilo. Cùm ergò hinc manifestum sit,

materiam omnem, ejusque vel minimas particulas à Deo ex nihilo conditas esse, utique & insitas ipsarum vires sive virtutes & proprietates, quæ ab ipsarum essentia in re non differunt, cum ipsis conditas esse apparet. Hinc ergò intelligimus, Deum ut materiæ primæ, omniúmque particularum & atomorum, ità & naturalis cujuscunque particulæ motus atque quietis principii primam causam & Authorem esse.

Altera quæstio est, Utrum Deus à principio cum materia omnem actualem motum & quietem creaverit? Respondeo, meo quidem judicio, Creatio propriè loquendo non terminatur in modis rerum, aut actionibus, sed in rebus aut entibus ipsis, ità ut id, quod à Deo in principio fuit productum sit Ens actu existens; cúmque proprietates & virtutes entibus insitæ ab ipsorum essentiis in re non distinguantur, utique cum iis etiam virtutes insitas creatas & conditas esse consequitur, ut jam probatum est. At verò aliud est virtus seu principium movendi, aliud motus ipse. Virtus movendi singulis particulis inesse potest, at inde tamen nequaquam actualis ipsarum motus colligitur. Homo ambulandi virtutem habet, non tamen semper actu ambulat. Præterea, motus actualis sæpissimè à partium compositione dependet, quemadmodùm sanguis in corpore vivo per universum corpus movetur, & extra corpus, ad modum aliorum gravium, quiescit. Cùm itàque indies nova particularum fiat compositio, generatio item & corruptio, variáque particularum & atomorum creatarum permixtio, hinc quoque indies novos motus in rerum natura oriri mihi manifestum videtur. Sicut enim corpora naturalia indies intereunt & nova generantur, ità quoque motus ipsorum interire cum ipsis, novósque oriri necessum est. Quod ipsum ex ipsius quoque Cartesii sententia haud obscurè colligitur, quandoquidem nihil aliud motum esse vult quam modum corporis; intereunte ergò corpore vel subjecto, ejus quoque modum interire sequitur. Non ergò manifestum, sed falsum est, omnem motum ab initio esse conditum. Et similiter etiam de quiete judicandum est.

CAPUT XIX.

Utrum nunc tantundem sit motus in rerum natura, ac fuit in principio?

SEquitur quæstio tertia, Utrum nunc tantundem sit motus in tota materia condita, & per ordinarium Dei concursum conservetur, quantum ab initio in ea posuerit Deus? Ex dictis patet in globo terrestri (ne de globis cœlestibus, Planetis, Astris, Cometis, &c. loquar, quorum

rum interiores motus ne à Cartesio quidem, aut quoquam mortalium, cognosci existimo) novos indies motus cieri; Et cum procul omni dubio plura nunc animata saltem corpora, homines, bruta, aves, pisces, arbores, plantæ, &c. sint in mundo, quàm quidem in principio à Deo sint condita; Ecquis dubitet, quin jam multò plus motus in terris reperiatur, quàm in principio, cùm duo tantùm erant homines, & pauca admodùm animalia, aves, pisces, herbæ, &c. Cùm verò hæc sint perspicua, quis Cartesio asserta hæc sua manifesta fuisse dixerit?

Sed jam rationem Cartesii audiamus: *Nam quamvis*, inquit, *ille motus nihil aliud sit in materia mota quàm ejus modus; certam tamen & determinatam habet quantitatem, quam facilè intelligimus eandem semper in tota rerum universitate esse posse, quamvis in singulis ejus partibus mutetur. Ità scilicet ut putemus, cùm una pars materiæ duplo celerius movetur quàm altera, & hæc altera duplo major est quàm prior, tantundem motus esse in minore quàm in majore, ac quantò motus unius partis lentior fit, tantò motum alicujus alterius ipsi æqualis fieri celeriorem.* Itàne verò istac ratione ostenditur, Deum esse primam omnis materiæ, motusque in ea & quietis causam? Siccine probatur Deum omnem initiò motum creasse & quietem, & tantundem nunc motus esse in rerum natura ac in principio? Motum Cartesius ad instar ipsius materiæ omnis collectivè sumptæ considerare videtur; adeòque, quemadmodum tantundem nunc in toto universo materiæ reperitur, licet diversis vel pluribus in corporibus distributa sit, ac in principio; ità quoque tantundem nunc motus reperiri in universo, licet ille motus nunc in aliis fortè vel pluribus materiæ particulis distributus sit. Vel, ut alio simili declarem, quemadmodùm ventus vel aër intestino aliquo, aliove corpore cavo flexili tamen, inclusus, nunc versus unam, nunc versus aliam partem moveri potest, manente tamen eadem sive venti sive aëris in eo quantitate; perinde quoque Motum quasi ventum quendam aut aërem universo inclusum spectasse videtur Cartesius, qui semper ratione quantitatis idem sit in toto universo. Et quamvis nunc plus, nunc minus sit in hac vel illa mundi parte, omnes tamen partes simul non continere plus aut minus, quàm in principio à Deo sit conditus. At verò, utut hisce similitudinibus quodammodò explicari videatur, quomodò nunc tantundem motus in rerum natura esse possit ac fuit in principio, quid tùm posteà? A posse enim ad esse non valet consequentia. Si tu tot nunc homines esse posse dixeris, quot ab initio olim fuêre, nunquid propterea haud plures nunc esse, quàm fuerint olim conficias? Nos, ut corpora naturalia viva, homines,

nes, animalia, aves, pisces, aliáque plura temporis progessu multiplicata esse novimus, ità & motus corporum naturalium multiplicatos esse concludimus, & satis supérque jam suprà demonstratum est.

Pergit Cartesius: *Intelligimus etiam*, inquit, *perfectionem esse in Deo, non solùm quod in se-ipso sit immutabilis, sed etiam quod modo quam maximè constanti & immutabili operetur: adeò ut, iis mutationibus exceptis, quas evidens experientia, vel divina revelatio certas reddit, quasque sine ulla in Creatore mutatione fieri percipimus, aut credimus, nullas alias in ejus operibus supponere debeamus, ne qua inde inconstantia in ipso arguatur.* Nempe ex falsa hac sua hypothesi, quod Deus omnem materiam simul cum motu & quiete in principio creavit, quodque tantundem jam ut materiæ, ità & motus conservet, perfectionem Dei immutabilem colligit Cartesius; quasi verò ad immutabilitatem Dei conservandam operis immutabilitas necessaria esset. Sed, si vel omninò hypothesin istam concederemus Cartesio, num propterea opera Dei immutabilia diceremus, vel etiam ipsius operandi modum? Nonne generatione & corruptione continuas in rerum natura mutationes observamus? Et quoties Deum ab ordinario suo operandi modo, & providentiæ curriculo recedere advertimus? Et cùm, ipso Cartesio teste, evidens experientia varias mutationes indies fieri doceat, & scriptura confirmet, absque tamen ullo mutationis Dei argumento; utique neque quotidianas rerum mutationes, quæ in operibus Dei conspicuæ sunt, aliquam in Deo vel imperfectionem vel mutabilitatem arguere manifestum evadit. Adeòque non est, quod ex operum mutatione, sive tantundem motus conservet Deus in materia, sive continuò alios novosque producat, aliquam vel minimam in Deo inconstantiam metuamus. Ratio manifesta est, quia omnia ex consilio suæ voluntatis operatur Deus, teste Apostolo, & prout se in tempore operaturum æterno decreto immutabiliter constituit. Ità ut alia, eáque multò firmiora, pro immutabilitate & perfectissima Dei constantia argumenta habeamus.

Non ergò *sequitur*, ut Cartesius putat, *quam maximè rationi esse consentaneum, ut putemus ex hoc solo, quod Deus diversimodè moverit partes materiæ, cum primùm illas creavit, jamque totam istam materiam conservet, eodem planè modo, eadémque ratione qua prius creavit, eum etiam tantundem motus in ipsa semper conservare.* Nulla, inquam, hîc sequela, quandoquidem Deus, sicut ex immutabilitate sui decreti Universi materiam creavit, diversissimæ naturæ particulas & atomos pro arbitrio suo producendo; ità etiam ex ejusdem decreti immutabilita-

bilitate, easdem materiæ mundanæ particulas conservat, & movet.

Caput XX.

An, quod movetur, semper naturâ suâ moveri pergat?

EX immobilitate Dei jam porrò colligit Cartesius regulas aliquot, quas & Leges naturæ vocat, quæ sint causæ secundariæ ac particulares diversorum motuum, quos in singulis corporibus advertimus. Harum autem primam esse ait, *Unamquamque rem, quatenus est simplex & indivisa, manere quantum in se est in eodem semper statu, nec unquam mutari nisi à causis externis. Ità si pars aliqua materiæ sit quadrata, facilè nobis persuademus, illam perpetuò mansuram esse quadratam, nisi quid aliunde adveniat quod ejus figuram mutet; si quiescat, non credimus illam unquam incepturam moveri, nisi ab aliqua causa ad id impellatur; nec ulla major ratio est si moveatur, cur putemus, ipsam unquam sua sponte, & à nullo alio impeditam, motum illum suum esse intermissuram.* Si per τὸ *esse in eodem statu* intelligatur eadem rei essentia cum suis attributis, proprietatibus atque virtutibus essentialibus, regula hæc, meo judicio, est certissima; quocirca & atomos, quas solas, inter res corporeas, simplices atque indivisibiles agnoscimus, (quia omne divisibile ex partibus est compositnm) ratione essentiæ aut naturæ suæ immutabiles asserimus. Si enim atomus, naturâ suâ mutaretur, vel aliam naturam acciperet, tunc eo momento, quo aliam naturam acciperet, suam retineret vel non; si retineret, duas jam simul naturas possideret, quod evidenter falsum, quia tùnc semper diversas retinere posset, & indivisibilis naturâ non esset. Si non retineret, ergò amitteret suum esse, & consequenter periret, quod similiter est impossibile: quia atomus, ut ingenerabilis, ità & incorruptibilis est. Et hinc sequitur, easdem non tantùm ratione sui, verùm etiam absolutè immutabiles esse, ac proinde ne à causis quidem externis unquam mutari posse. Quod tamen non impedit quò minus ratione loci mutari, seu loco moveri queant, Neque enim mutatio loci mutationem essentiæ sive naturæ arguit. Verum ergò est, & Atomos, naturâ suâ hac vel illâ figurâ præditas, tales quoque semper mansuras, quia nulla tam potens in rerum natura excogitari causa potest, quæ naturam à Deo constitutam immutet. Adeòque illud Cartesii frustraneum videtur: *nisi quid aliunde adveniat, quod ejus figuram mutet;* siquidem nihil tale quid aliunde contra institutum Dei advenire potest, éstque res notissima, naturam sui esse conservatricem, & nequaquam eversorem.

Si tamen de mutatione Loci sola quæstio sit, hanc ratione eorum, quæ quiescunt naturâ suâ, non nisi à causa externa advenire posse, non minus certum est; Sicut & ea, quæ naturâ suâ moventur, non nisi à causa aliqua externa sisti, aut in motu suo impediri possunt. Quia verò tùm motus aliunde corporibus naturâ suâ quiescentibus impressus, tùm quies ratione corporum naturâ suâ moventium, iis corporibus quasi repugnat, hinc ejusmodi motum & quietem pro communi accidentium natura per se evanescere existimo; quemadmodùm lapidem projectum paulatim deficere, & tandem planè à motu suo violento cessare videmus, & quiescere. Ratio ergò esse videtur, cur putemus nonnunquam corpus, à causa externa motum, sua sponte motum illum suum esse intermissurum. Neque proinde conclusio illa Cartesii, qua, *id quod movetur, quantum in se est semper moveri*, affirmat, admitti potest, nisi ratione eorum motuum inanimatorum, quæ ex ipsa rei natura, & virtute innata seu essentiali proveniunt. Motum enim accidentalem seu adventitium sponte sua cessare jam notatum est.

Si quoque advertamus ad motus viventium, tùm rationales & arbitrarios in hominibus, tùm naturales in animatis, brutis atque plantis, eosdem quoque vel ex arbitrio, vel ultrò seu naturâ suâ cessare experimur. Sic homo ex arbitrio suo ambulans, ut quiescat, alia causa haud opus habet. Quod etiam in brutis verum est, neque enim, ut à motu suo cessent, causam externam requirunt. Motus quoque animatorum naturales, accretionis, nutritionis, &c. similiter ex se tandem cessare videmus; nempe ubi ad determinatos suæ à Conditore quantitatis terminos singula pervenerint. Sicut enim alia homini, alia elephanti, alia formicæ à Deo quantitas determinata est, ità quoque ad istam corpora quantitatem accrescere videmus, & tunc in isto statu ad tempus quasi quiescere, donec iterum decrescant, vel dissolvantur atque intereant. Ex quibus omnibus apparet, quàm etiam horum ratione infirma sit dicta Cartesii conclusio, quoniam multa sponte sua, multa ex natura sua quiescere à motu percipimus.

Sed, inquit Cartesius, *hoc legibus naturæ quàm maximè adversatur; quies enim motui est contraria, nihilque ad suum contrarium, sive ad destructionem sui ipsius, ex propria natura ferri potest.* Quietem non semper motui esse contrariam vel ex eo patet, quod sæpè nihil aliud sit quàm illius cessatio aut finis; unde & aliquandò rei perfectio dicenda videtur, veluti cùm homo multo labore defatigatus tandem fine acquisito quiescit. Similiter determinata viventium figura & quantitas eorum quies est.

Quis

Quis verò viventia, ante illius acquisitionem, ad eam tendentia, ad suum contrarium ferri somniet, vel ad sui destructionem? Lapis in altum projectus suâ naturâ ad Terram fertur, ibidémque quiescit; nunquid propterea ipsum sui destructionem appetere dicemus? Quod si excipias, Cartesium non de mobili loqui, sed de ipso motu, cujus contrarium vult esse quietem: Respondeo, motum propriè non ferri ad quietem, sed mobile actu ad quietem tandem perduci, eámque sæpè appetere, ità ut quies non destructio motus, sed cessatio à motu, ejusque finis, seu permanentia mobilis in suo loco.

Putat tamen Cartesius quotidianâ experientiâ in iis, quæ projiciuntur, regulam suam omninò confirmari. *Neque enim*, inquit §. XXXVIII. *alia ratio est, cur projecta perseverent aliquandiu in motu, postquam à manu jaciente separata sunt, quàm quia semel mota pergunt moveri, donec ab obviis corporibus retardentur.* Utique si hæc continuationis motus projectorum esset causa, quia semel mota pergunt moveri, donec ab obviis corporibus retardentur, sequeretur corpus vel levissimè motum in vacuo in infinitum motum iri, nec unquam ab illo motu cessaturum. Vera projecti lapidis motus causa est impetus illi à projectore impressus, continuationis verò illius impetus intensio, ità ut quo major aut minor illa fuerit, eò etiam motus continuatio sit futura vel brevior vel diuturnior. Sicuti enim calor aquæ impressus pro ratione intensionis breviori vel longiori tempore durat, ità quoque impetum, adeòque & motum lapidis pro ratione intensionis vel remissionis durare judicandum est. Interim impetum illum & motum ab obviis corporibus retardari quoque, atque destrui certissimum est.

Unde quoque cum Cartesio manifestum dicimus, corpora projecta *solere ab aëre, aliisve quibuslibet fluidis corporibus in quibus moventur, paulatim retardari, atque adeò motum ipsorum diu durare non posse. Aërem quoque motibus aliorum corporum resistere, &c.* Hinc tamen nemo collegerit, corporibus iis remotis, aut absque retardatione ejusmodi corporum, motum semper duraturum. Aqua fervida, si frigida ipsi affundatur, citiùs quidem pristinum recipiet frigus, nemo tamen inde, ipsam nunquam ad pristinum statuum nisi frigidæ affusione reversuram, concluserit. Aërem quoque projectorum aliorumque corporum motibus resistere posse, non est ut probetur, neque quicquam nobis adversatur; quia resistentiâ motus sublatâ, perpetua tamen ejusdem continuatio non confirmatur; quemadmodùm frigore externo sublato non tamen propterea perpetuitas caloris in aqua vel ferro concludi potest. Hactenus lex naturæ prima.

Caput XXI.

An omnis motus ex se tendat per lineas rectas.

PErgit Cartesius ad alteram naturæ legem §. xxxix. *Altera*, inquit, *Lex naturæ est; unamquamque partem materiæ seorsim spectatam non tendere unquam, ut secundum ullas lineas obliquas pergat moveri, sed tantummodò secundum rectas, etsi multæ sæpè cogantur deflectere propter occursum aliarum, atque, ut paulò ante dictum est, in quolibet motu fiat quodammodò circulus ex omni materia simul mota.* Cùm totum nihil aliud quàm partes unitas contineat, utique eandem partium, quæ totius, naturam esse haud adeò absurdè statui posse videtur. Si ergò Totum hoc universum circulariter moveri cum Cartesio supponamus, utique & partes circulariter ex natura sua motum iri consequitur. Docuit hanc sententiam Galilæus Galilæi, *Dial.* 1. *de System. Mundi*, *pag.* 23. Ubi ità concludit: *Ex his concludo, solum motum circularem posse naturaliter convenire corporibus naturalibus Universum integrantibus, & in optima dispositione constitutis.* Et de recto motu porrò sic ait: *Rectum autem, si plurimum largiamur, assignatum esse à natura corporibus & eorum partibus, quotiescunque extra loca sua in prava dispositione constituta esse, & proinde reductione ad statum naturalem per viam brevissimam indigere deprehenduntur.* Deinde etiam, si hæc rigidiùs excutiantur, negari posse ait, quod Terræ partes, totum suum repetentes, moveantur per lineam rectam & non per circularem, aut aliam aliquam mixtam. Hujus autem rei demonstratio sic institui potest:


Esto A Terræ centrum, A B ejus semidiameter, circulus B E G I Terræ circumferentia, B C altitudo turris, quæ circumlata cum Terra vertice suo describit circulum C D F H: cogita cadere lapidem è vertice C, cùm autem lapis continuò turri quasi affixus maneat, & ad centrum Terræ properet, utique ipsum non nisi per arcum C E L A moveri posse apparet. Existente enim turri in *a*, lapis erit in *f*; Quandò verò turris est in *b*, lapis erit in *g*; & sic deinceps in punctis arcus C E L A, correspondentibus punctis circuli C D F H, donec lapis quiescat ad limen turris, in E. Quod si ulteriùs ad centrum terræ descendere imaginemur, necessariò lapidem motum iri intelligitur per eandem circularem Lineam ab E in L, & ab L in A.

Et hinc tria notanda, quæ proinde hîc subjicio, consectaria deducit Galilæus; quorum primum est, quod accuratè rem expendendo, mobile

bile non movetur realiter alio, quàm ſimplici circulari motu: Quomodò dum ſupra turrim conſiſteret, tamen non niſi ſimplici ac circulari motu moveretur. Alterum, Mobile non magis minuſve moveri, quàm ſi continuò ſupra turrim conſtitiſſet; ſiquidem arcubus C*a*, *ab*, *bc*, *cd*, *de*, &c. quos pertranſiſſet ſupra turrim ſemper remanendo, præcisè ſunt æquales arcus circumferentiæ CE. ſc. C*f*, *fg*, *gh*, *hi*, *ik*, &c. qui iiſdem dictis arcubus ſubjecti ſunt. Tertium, quod hinc ſequitur mirabile eſt, quod motus lapidis verus & realis non acceleretur, ſed æquabilis ſemper ac uniformis ſit, cùm omnes arcus æquales, notati in circumferentia CH, iiſdémque reſpondentes, ſignati in circumferentia CEL, temporibus æqualibus tranſeantur. Quæ profectò res labore nos liberaret novas accelerationis cauſas alioſve motus inveſtigandi: Quandoquidem mobile, tàm ſupra turrim conſiſtendo, quàm inde decidendo, ſemper eodem modo, hoc eſt, circulariter, eadem velocitate, & uniformi tenore movetur.

Poſſet deinde & quartum hinc deduci conſectarium, ſcilicet hac ratio-

ne accuratè menſurari poſſe, quanto temporis ſpatio mobile ſemidiametrum Terræ tranſire queat. Cùm enim turris 24 horis cum Terra circumvolvatur, utique ſex horarum ſpatio ipſam à C uſque in H movendam eſſe colligitur, cúmque tunc mobile deſcendens per circulum



CEL eſſet in A, utique eodem temporis ſpatio ſemidiametrum Terræ abſolviſſet, & amplius, ut patet; quanto ſc. arcus CELA, major eſt, quàm ſemidiameter CA. Poſſet & Quintum addi, quod etiamſi turris bis terve, imò vel centies eſſet altior, ut in M, eodem tamen & æquali tempore mobile perveniret ad centrum. Dum enim apex turris cum terra moveretur per circulum MQRS mobile deſcenderet per arcum MNA. Quibus & ſextum ſubjicio, Mobile quo altius, eo quoque celerius per medium motum iri, ſiquidem eodem temporis ſpatio M, C, B, & O, ad centrum A pervenirent. Denique ſequeretur lapidem ex C tertia

tia sui motus ac temporis parte tantùm perventurum ad E; descendisset ergò tantùm per longitudinem turris C B vel D E; Alterâ verò sui motus tertiâ perveniret ab E in L; & ultimâ tertiâ ab L, in A centrum.

Quia verò consectaria hæc posteriora imprimis, quæ Galilæus non animadvertisse videtur, nimium mihi absurda videntur, & apertè falsa, quia sequeretur idem mobile eodem tempore spatia maximè inæqualia absolvere, mobiléque, quò centro vicinius, ut in O, eò quoque tardiùs motum iri; quin imò minimum circa centrum arcum ad sui transitum requirere sex horarum spatium, & id genus alia; utique & illud, unde hæc consequuntur, falsum esse existimo. Utut ergò motus circularis corporibus mundanis in loco suo naturali existentibus, ejusque partibus convenire queat, non tamen ea hîc ratione Philosophandum esse judico. Ego quidem motu terræ circulari concesso, cùm diurno tùm annuo, tam præcisè tamen aut curiosè hactenus observatum non puto, quo in loco lapis è turri prolapsus decideret; Nam vel minima aëris motio variationem aliquam causare potest. Neque turris extat in toto orbe, cujus exteriores lineæ perpendiculariter tendunt ad centrum, quod tamen ad experientiam hanc esset necessarium. Interim, cum aër continuò cum turri moveatur orientem versus, utique & lapidem ab eo communi motu impetum sibi impressum habere certum videtur, unde, si in tam brevi distantia è turri prolapsus ad limen decidat, haud mirum esse apparet. Docet quoque experientia corpora pro diversa gravitatis ratione vel tardiùs vel celeriùs descendere; unde motus mobilium descendentium admodùm inæquales esse percipitur, neque certam aut universalem motus lineam determinari posse.

Ut autem in perplexa hac controversia meum judicium paulò clarius exponam, sic quidem ego sentio, Materiæ aut Terræ particulas graviores, in loco quodam superiori extra suum locum naturalem consistentes, habere quidem semper conatum sibi insitum conjungendi vel uniendi cum suo toto, & existendi in loco suo naturali; adeòque easdem, sibi relictas & seorsim spectatas, semper ad eum per brevissimam, proindéque rectissimam lineam motum iri. Quod ergò non semper per rectam lineam deorsum moveantur, id imprimis corporibus occurrentibus, quæ istum motum impediunt & obliquum reddunt, attribuendum arbitror. Deinceps verò de iisdem particulis sic Philosophandum puto, nempe easdem in loco suo naturali consistentes non moveri aut per se motum iri sive directè, sive circulariter ad centrum, sed circa centrum motu cosmico Terræ. Lapidem igitur è superiori quasi terræ superficie desumptum

desumptum nunquam ad centrum perventurum, aut naturali suo motu pervenire posse judico. Ut ergò majora, ità & minora corpora, singulasque eorum particulas, ut naturam & virtutes, ità & sese movendi vires in loco sibi à Deo destinato accepisse putandum est. Quod si aliquandò extra istum locum ipsa deturbari contigerit, eò quidem ipsa motu rectilineo, turbato tamen & irregulari progredi, ut cum toto suo conjungantur, concedo; ibidem tamen quasi quiescentia motu ordinario & cum suo Toto motum iri assero.

Et reverà, si omnes globi terrestris particulas ad centrum tendere statuamus, jam omninò nullam particulam in loco suo naturali esse sequeretur, omnesque alias ex loco suo expellere conari, quod absurdum videtur; Esétque perpetua particularum quasi pugna in Universo; cùm tamen admodùm sit probabile, Deum initiò Mundum condidisse in statu perfecto, ità ut omnes illius particulæ in locis suis perfectissimè dispositæ fuerint. Quasdam ergò circa centrum proximè, quasdem in supremo juxta exteriorem Terræ superficiem loco, quasdem in media regione collocavit; Ubi & motum totius singulæ sequuntur, eúmque sibi singulas insitum habere admodùm mihi verosimile videtur. Quemadmodùm ergò terrestres particulæ graviores non ascendunt in aërem, ità neque infimæ regionis ascendunt in mediam, nec mediæ in supremam: Et similiter quoque nec supremæ regionis particulæ descendunt in mediam regionem, nec mediæ regionis in infimam; perinde ut neque aërem in terræ locum descendere videmus.

Patet ergò ex dictis secundam hanc Cartesii regulam admodùm esse incertam, quâ unamquamque materiæ partem seorsim spectatam semper tendere ad motum rectilineum existimat. Et quamvis ratione particularum, extra locum suum naturalem consistentium, & à toto suo quasi avulsarum, lubenter istum motum concedamus, (ut constat ex dictis) ratio tamen à Cartesio data nullius est ponderis. Sic autem ipse procedit: *Causa hujus regulæ eadem est quæ præcedentis, nempe immutabilitas, & simplicitas operationis, per quam Deus motum in materia conservat; Neque enim illum conservat, nisi præcisè qualis est eo ipso temporis momento quo conservat, nulla habita ratione ejus qui fortè fuit paulò ante.* Misera sanè hæc ratio est. Jam suprà ex immutabilitate Dei nihil minùs quàm immutabilitatem in operibus demonstrari ostensum fuit. Et reverà, si immutabilitas operum argumentum esset immutabilitatis operantis Dei, nonne perspecta operum mutabilitate in promptu esset colligere Deum esse mutabilem? Deinde, cùm corpora, fatente Cartesio, ex occur-

occursu aliorum secundùm obliquas lineas moveri sæpè cogantur; Num istoc tempore minùs constanter Deum motus eorum conservare, quàm cùm secundùm rectas moventur, dicemus? Vel, num Deum ejusve operationem in conservatione recti motus ab aliorum corporum occursu impediri arbitrabimur? Vel denique, si motum præcisè conservet talem, qualis erat eo ipso temporis momento quo conservat, quare non semper rectum conservat, cùm talis in principio fuerit?

CAPUT XXII.

Ostenditur motum fieri in instanti.

CArtesius, ut motum rectilineum ulteriùs confirmet, adducit exemplum lapidis, qui fundâ projectus non per curvam aut circularem, sed per rectam lineam progreditur. Quia verò hîc iterum ipsum hoc præjudicio occupatum video, quasi nullus motus fieret in instanti, quod nondum ab ipso probatum est, ipsam hanc ipsius hypothesin paucis hoc capitulo examinare statuimus. Sic autem ipse disserit: *Ac quamvis nullus motus fiat in instanti*, &c. Equidem hanc ferè hactenus, in Schola Philosophorum, Peripateticorum imprimis, receptam fuisse sententiam fateor, nullum motum fieri in instanti. At verò, qua ratione istæc sententia demonstretur, non video. Nos ergò etiam hoc præjudicio excusso, sicuti lineam ex punctis sive atomis, ità & motum continuum ex motibus instantaneis componi dicimus; ità ut motus instantaneus sit pars, vel potiùs minima particula motus continui aut compositi. Dari autem ejusmodi motum instantaneum, sic demonstro: Ponatur linea constans decem punctis, fiat per eam lineam motus puncto aliquo vel corpore pyramidali; Quæro, utrum punctum illud primo motus momento partem aliquam istius lineæ transierit, nec ne? Si nihil transierit, motus non esset factus: Si ergò aliquid, vel aliquam lineæ partem transierit, habeo intentum; adeòque datur motus instantaneus.

Et hinc jam etiam absque multo labore percipi potest, omnem motum præsentem tantùm instantaneum esse posse, quandoquidem nihil temporis, quàm τὸ νῦν præsens esse potest. Sicuti igitur in tempore, præteritum non est, quia fuit, & futurum non est, quia erit; ità etiam analogicè de motu est judicandum. Pars enim motus præterita non est ampliùs, quia fuit; futura nondum est, quia erit: Ergò præsens tantùm pars est motus; qui non nisi instantaneus esse potest, quia omnis motus, qui fit in instanti, instantaneus est.

Prætereà, ex hisce aliud percipitur mysterium, nimirum omnem

rerum mutationem fieri in instanti, quamvis in uno momento perfectionem suam res non consequantur; adeòque totidem mutationis gradus vel partes concipiendæ sunt, quot momenta, quibus universa mutatio facta esse dicitur. Probatur autem hæc nostra sententia hoc modo: Id quod fit in præsenti, in momento proximè antecedenti vel erat, vel non erat: Si erat, ergò in præsenti non est factum, quod tamen supponitur; si non erat, ergò in præsenti momento factum est; si enim non esset in præsenti momento factum, adhuc esset in statu futuritionis, quod similiter est contra suppositum. Quicquid ergò fit vel mutatur, fit in præsenti momento, quod erat demonstrandum.

CAPUT XXIII.

Inquiritur quare lapis è funda projectus moveatur per lineam rectam.

Posito igitur Motum fieri in instanti, quod ipsum & Cartesium suspicatum fuisse existimo, jam quomodò ulteriùs motum suum rectilineum confirmet, audiamus; sic autem procedit: *Ac quamvis nullus motus fiat in instanti, manifestum tamen est, omne id quod movetur, determinatum esse ad motum suum continuandum versus aliquam partem, secundùm lineam rectam, non autem unquam secundùm ullam lineam curvam.* Quam parùm hæc omnia veritati sint consentanea, jam in præcedentibus visum est. Neque enim aliquem duntaxat, verùm & omnem in instanti fieri motum ostendimus. Prætereà, corpora mundana in naturali suo loco consistentia ad circularem motum esse determinata, probatum est. Quin imò, si quis impossibilem, saltem inutilem, motum rectilineum ratione corporum mundanorum dixerit, haud præter rationem Philosophabitur. Circularem certè motum ne ipse quidem Cartesius negare potest, siquidem ipsam Terram, omnesque Planetarum globos circulariter circa Solem moveri asserit. Partes tamen à toto avulsas, atque adeò in loco præternaturali constitutas, naturâ suâ ad totum suum ferri idque per lineam brevissimam, ac proinde & rectam ultrò damus Cartesio. At verò, qua vel rationis specie ex motu ejusmodi quasi accidentali partium generalis quædam naturæ Lex stabilietur?

Vera quidem hæc sunt, quæ tradit Cartesius, scilicet lapidem fundâ per circulum rotatum, non circulariter, (nempe spectando circulum, quem funda per aërem describit) sed per lineam rectam motum iri; at veram hujus rei rationem ignoravit, & ignorant quotquot atomos nostras non admittunt. Saltem ex sententia Cartesii explicari non posse ex eo patet, quia nullus lapidis, cum funda circumrotati, motus nisi curvus

vus vel circularis excogitari potest; Cùm ergò Deum eundem conservare docuerit Cartesius, etiam sequentem curvum & circularem debere esse consequeretur. Hæc ergò non cohærent. Nostrâ autem de Atomis positâ doctrinâ, ad hujus rei intelligentiam notandum est, omnem lineam Physicam in natura consistentem, adeòque & circularem, per quam funda movetur in aëre, ex atomis compositam esse. Quia verò duæ atomi necessariò semper rectam constituunt lineolam, earumque conjunctio in linea est minima, utique, universam circularem lineam non nisi lineolis ejusmodi rectis constare, manifestum est. Ubicunque ergò fuerit funda vel lapis, circulum aëreum tangit necessariò in minima illius particula, adeòque & in lineola recta. Cùm ergò & lapis ex funda per lineolam rectam egrediatur, quid mirum quod & per lineam rectam moveri ad tempus pergat? Determinatur enim motus ille ab ultima circuli, unde egreditur, fundæ particula, quæ recta est, ut dictum.

Ex. gr. Sit pars circuli L A B I, constantis lineolis distinctis in ea notatis. Cogitemus autem lineolas duabus duntaxat constare punctis, unde

 & eas

& eas rectas esse intelligitur. Egrediatur jam lapis ex funda E A, in lineola A. Quia autem lineola A, ulterius extensa fertur in G. hinc patet quoque lapidem per eam lineam motum iri. Si verò lapis egrediatur ex funda in B, tendet versus C. si ex F, tendet versus H. & ità de cæteris. Vult Cartesius *omne corpus, quod circulariter movetur, perpetuò tendere ut recedat à centro circuli quem describit*. Sed præterquam quod nulla hujus rei ab ipso trandatur ratio, fingi quoque nequit, quare, vel ista datâ hypothesi, lapis A, non tendat versus D. Si enim à centro sui circuli naturaliter recedat, quare potiùs in G, quàm in D. nisi quia omnis circuli particula, ex quarum una lapis egreditur, sit recta; quæ proinde exinde rectam quoque necessariò lineam describit in G, & non in D aut in K.

CAPUT XXIV.

Quomodò motus mobili communicetur.

SEquitur tertia Cartesii Lex, ut vocat, quæ agit de modo, quo motus à movente mobili communicetur. Notandum igitur, hoc loco non agi de motu naturali, seu de principio motus essentiali, sed de adventitio seu accidentali, quod principium vulgò *Impetum* vocare solemus, quod in momento quasi & unico ictu à movente mobili imprimatur. De hoc autem Impetu sententia nostra est, eum, cùm sit accidens, de uno mobili in aliud transire non posse; quod tamen non impedit, quò minùs tanquam instrumentum moventis impetum in alio mobili sibi occurrente causare queat; sicut & corpus calidum calorem in alio causare, non verò proprium transfundere, potest.

Jam verò Cartesium audiamus. Sic autem ille §. XL. *Tertia*, inquit, *Lex naturæ hæc est. Ubi corpus quod movetur alteri occurrit, si minorem habeat vim ad pergendum secundùm lineam rectam, quàm hoc alterum ad ei resistendum, tunc deflectitur in aliam partem, & motum suum retinendo solam motus determinationem amittit; si verò habeat majorem, tunc alterum corpus secum movet, ac quantum ei dat de suo motu, tantundem perdit*. Vult ergò Cartesius primò, corpus debilius à fortiori occurrente repulsum, in aliam partem deflecti quidem, motum tamen suum retinere, & determinationem tantùm ejusdem amittere. At non distinguit Cartesius inter motum & impetum mobili impressum, qui est motus sive movendi formale principium, ut patet ex dictis. Dico igitur, corpus debilius motum à fortiori occurrente sive resistente repulsum motum suum amittere, impetum verò adhuc retinere; hunc autem ipsi inhæ-

inhærentem impetum à corpore resistente determinari ad aliam partem; quod idem est ac si dicas, corpus motum per lineam rectam à resistente versus aliam partem moveri. Ex. gratia, Projiciatur pila in hunc parietem, pila non amittit statim impetum sibi à projectore impressum, à pariete tamen determinatur ad motum versus aliam partem continuandum. Determinatio ergò motus à corpore occurrente dependet. Quid autem est motus determinatio, quàm motus determinatus aut modificatus à movente? Differunt igitur impetus & illius determinatio, ut accidens & illius modificatio. At verò, cùm motus determinatio in re nihil aliud sit, quàm certus quidam & determinatus motus, sicuti figuræ determinatio nihil aliud est, quàm figura determinata, hæc vel illa; quomodò hîc motus determinatio mutari queat, absque ipsius motus mutatione, non video. Sicut enim mutatâ figurâ determinatâ necessariò ipsa figura illa mutatur, perinde mutato motu determinato & ipsum motum mutari necesse est, quia in re non differunt. Quin imò, si hoc negotium adhuc curiosiùs perpendamus, patebit exemplo allato, motum pilæ non tantùm, dum reflectitur à pariete, mutari; sed omnem præcedentem pilæ repercussæ motum jam evanuisse, & prorsus esse ablatum, adeòque alium esse motum in pila reflexa, quàm anteà erat; imò singulis momentis quasi novum in ea ab impetu inhærente reproduci: Siquidem motus, qui præteriit, amplius esse non potest; quemadmodùm nec tempus præteritum amplius esse potest, quia fuit. Et hinc jam constat, non satis accuratè à Cartesio dici, corpus debilius à resistente deflecti in aliam partem, & tamen motum suum retinere; cùm, ut temporis, ità & motus quasi particulæ, continuò evanescant & pereant: Quamvis ratione ejusdem impetus inhærentis mobile motum suum continuare vulgò dicamus.

Deinde vult Cartesius, corpus motum, si majorem habeat vim, quàm alterum cui occurrit ad ei resistendum, tunc illud secum convecturum, quod certissimum est; Et hinc magna aquarum vi aggeres sæpè perrumpi videmus, qui minori anteà resistebant. Hoc tamen hîc notandum videtur, quod addit Cartesius, corpus motum *tantundem sui motus* (id est, impetus, quem perpetuò cum motu confundit) *deperdere quantum corpori occurrenti de suo dat*. Neque enim putandum est impetum ab uno corpore migrare in aliud; hoc enim naturæ accidentium repugnat. Accidentia non transmittuntur de subjecto in subjectum, alia tamen vel similia in alio subjecto causare possunt; quemadmodùm & corpus calefactum calorem suum in aliud corpus non transmittit, causare tamen similem in corpore sibi contiguo calorem potest.

L 3 Pergit

Pergit Cartesius: *Ità experimur*, inquit, *dura quælibet corpora projecta, cùm in aliud durum corpus impingunt, non ideò à motu cessare, sed versus contrariam partem reflecti*; Non quælibet, sed debiliora duntaxat corpora, si in aliud durum, putà fortius, impingant, versus contrariam partem reflectentur; nempe propter rationem jam dictam, quia in resistendo fortius est, adeòque impetum versus aliam partem determinat, seu actionem ejus modificat. *Contrà verò*, pergit, *cùm occurrunt corpori molli, quia facilè in illud motum omnem suum transmittunt, ideò statim ad quietem reduci*; Veluti, si projiciatur pila in arenam sive lutum, non resilict. Quæritur, quæ ratio, cùm in parietem vel terram duriorem projecta statim resiliat? Cartesius dicit, quia facilè in corpus molle motum suum omnem transmittit. Sed hîc priùs probandum erat, corpus molle faciliùs, quàm durum motum, seu potiùs impetum, recipere. Neque enim video molliora faciliùs, quàm duriora moveri posse. Certè longè altiùs pilam duram vel lapidem projeceris, quàm spongiam, quæ mollis est. Deinde, si hoc omninò concederetur, rediret quæstio, quare corpus molle faciliùs motum, quàm durum recipiat? Meo itaque judicio, corpus durum, putà hic lapis, in lutum projectus mox à motu suo cessat, quia particulas in luto offendit cedentes, non statim, ut in aëre, (sic enim ulteriùs progrederetur) sed lentè, ità ut eò quoque fortiùs, quàm aër resistat; atque ità fit, ut dum eas particulas movere, vel perrumpere conatur lapis, omnem proprium motum seu impetum amittat; quamvis interim in particulis, quas attingit, etiam motum quendam seu impetum producat.

Quod porrò Cartesius ait, *omnes causas particulares mutationum, quæ corporibus accidunt, in hac tertia lege contineri*, vereor ut verum sit. Nam præterquam, quod nec Angelorum, nec mentium humanarum (quibus procul omni dubio vis maxima corpora movendi inest) motus circa corpora hisce regulis explicari nequeant, ut ipse Cartesius haud obscurè fatetur; viventium quoque aut animatorum motus, aliosque sive naturales sive animales, satis intelligibiliter iis explicari posse, haud existimo.

Corpus motum debilius à fortiori occurrente in motu suo versus aliam partem determinari jam suprà concessum est; Motum tamen accuratè loquendo non retineri, sed ejus formale principium sive impetum quoque notatum est. Demonstrare tamen suam sententiam conatur Cartesius his verbis, §. XLI. *Quia differentia est inter motum in se spectatum, & ipsius determinationem versus certam partem; quâ fit, ut ista determinatio possit*

poßit mutari, motu integro remanente. Nullam inter hunc vel illum numero motum ejusque determinationem in re differentiam esse, sufficienter patet ex dictis, licet in genere mentis operatione motus ab illius determinatione possit abstrahi, quemadmodùm & hominis in genere potest esse conceptus, licet non cogitemus hunc aut illum in individuo: quod profectò in re nullam differentiam arguit. Falsum est ergò determinationem alicujus motus posse mutari absque mutatione ipsius motus. Impetum tamen sive formale movendi principium manere posse ultrò concedo, ut patet ex dictis. De causa quoque perseverantiæ istius interni motus principii, ejusque cessationis jam satis suprà actum est. Nempe principium formale motus essentiale mobili naturâ suâ inesse, adeòque & perpetuum, adventitium verò & accidentale suâ naturâ perire, ostensum est. Motum quoque motui contrarium non esse, dicitur quidem à Cartesio, at nusquam probatur. Nos contrà, siquidem per motum impetum mobili inexistentem intelligat, cùm unus alium expellat, eíque quàm maximè adversetur, eos quoque contrarios esse arbitramur; adeòque, quæcunque hîc à Cartesio dictantur, prorsus incerta, obscura, & partim falsa sunt.

Demonstratio quoque alterius partis, quam instituit Cartesius, §.XLII. ex immutabilitate operationis Dei prorsus nullius est ponderis, neque quicquam facit ad rem. Quænam enim hæc est consequentia: Deus mundum eadem nunc actione conservat, qua olim creavit, ergò tantundem nunc motus est in mundo, quàm fuit in principio? Vel, ergò, quantum corpus motum alteri de suo communicat, tantundem perdit? Pergit Cartesius: *Cùm enim*, inquit, *omnia corporibus sint plena, & nihilominus uniusque corporis motus tendat in lineam rectam, perspicuum est, Deum ab initio mundum creando, non modo diversas ejus partes diversimodè movisse, sed simul etiam effecisse, ut unæ alias impellerent: motusque suos in illos transferrent: adeò ut jam ipsum conservando eadem actione, ac cum iisdem legibus, cum quibus creavit, motum non iisdem materia partibus semper infixum, sed ex unius in alias, prout sibi mutuò occurrunt, transeuntem conservet. Sicque hac ipsa creaturarum continua mutatio, immutabilitatis Dei est argumentum.* Multa hîc quoque partim incerta, partim falsa infarciuntur; Nempe, omnia, sensu antè à Cartesio explicato, corporibus esse plena; Motum uniuscujusque corporis tendere in lineam rectam; Deum ab initio mundum creando effecisse, ut corpora motus suos in alia transferrent, &c. De quibus, cùm jam abundè in præcedentibus à nobis actum sit, operæ pretium non esse videtur, ut quicquam amplius addamus. Im-

Immutabilitatem Dei, summámque ipsius constantiam alio quoque argumento demonstrari notatum fuit. Et reverà, cùm ex operationum mutabilitate omnium creaturarum mutabilitas maximè conspicua sit, quomodò ex hoc fundamento immutabilitatem Dei astruere velit Cartesius, non percipio. Ego potiùs suppicarer Immutabilitatem Creatoris vel indirectè negari, vel saltem in dubium vocari ab eo, qui non aliud ad eam demonstrandam argumentum adduxerit. Cùm enim axioma ferè apud omnes receptum sit, rem se habere in esse, ut in operari; quis non multò probabilius ex mutabilitate vel continua operis mutatione ipsius operantis mutabilitatem, quàm immutabilitatem argui existimet? Nos ergò non mutationem operis, sed immutabilitatem decreti, cui examussim omnia omninò opera Dei conveniunt, immutabilitatis & constantiæ divinæ argumentum esse asserimus; neque mutabilitas operis, quæ extra Deum est, mutationem ullam in divina essentia arguere potest; perinde ut neque ex mutatione rerum sublunarium ullam in Sole dari mutationem colligitur. Quemadmodùm ergò, licet eadem causa diversorum effectorum effectrix esse possit, non tamen ex diversitate effectorum rectè unam tantùm eandémque causam esse colligas; ità quoque, licet Deus ex immutabili suo decreto diversa opera, variosque motus & continuas rerum mutationes in natura efficiat, haud tamen ex continua operandi mutatione immutabilitatem ipsius firmâ consequentiâ deduxeris.

CAPUT XXV.

Vis agendi & resistendi corporum in quo consistat.

HIc porrò diligenter advertendum ait Cartesius §.XLIII. in quo consistat vis cujusque corporis ad agendum in aliud, vel ad actioni alterius resistendum; *Nempe* inquit, *in hoc uno, quod unaquaque res tendat, quantum in se est, ad permanendum in eodem statu in quo est.* Ubi primò notandum, confundi à Cartesio vim agendi & resistendi. Meo quidem judicio, vis agendi seu potentia corporis activa ipsi naturalis est, (quamvis & accidentalis aliunde accedere possit) adeòque ab ipsa natura sive essentia corporis in re non differt. Et ratio est, quia alioquin sequeretur naturam seu essentiam corporis alicujus in individuo ex se indeterminatam seu indifferentem esse ad omnes operationes; & consequenter natura trunci vel lapidis vulgaris æquè determinari posset ad attractivam ferri operationem ac magnetis, quod absurdum. Natura enim cujuslibet

bet agentis naturalis ex se ad unum determinata est, ac proprii tantùm motus causa ac principium. Si ergò natura seu essentia ex se determinata sit, frustrà ponitur potentia tanquam accidens aliquod illi superadditum, aut ab ea distinctum. Præterea, si essentia per se & immediatè ejusmodi potentias producit, ut volunt; Ergò essentia in se habet principium producendi potentiam; Ergò naturâ suâ est principium activum; Et, si potest esse principium activum ratione potentiæ, quare non etiam posset esse principium activum ratione operationis, aut aliorum effectorum?

At verò vis resistendi mihi nihil aliud esse videtur, quàm firmitas connexionis partium, seu firma partium connexio. Quò enim alicujus corporis particulæ faciliùs dividuntur ab invicem, & recedunt, ipsum quoque eò minùs alteri resistere dicitur. Unde quoque minimam esse resistentiam eorum corporum manifestum est, quorum particulæ minùs, maximam verò, quorum particulæ maximè & firmissimè conjunctæ sunt. Cùm itaque, experientia teste, aër minùs resistat, quàm aqua, & aqua minùs quàm terra, & in terra argilla minùs quàm plumbum, & plumbum minùs quàm ferrum, &c. facilè percipimus ferri particulas maximè, aëris verò omnium minimè conglutinatas sive unitas esse. Ex quibus me colligere posse arbitror, nullam in atomis sejunctis aut particulis minimis ante unionem resistendi virtutem esse; Unde porrò infero, resistendi virtutem non in singulis particulis aut atomis, quæ tamen agendi virtutem obtinent, sed in sola unione aut connexione earum quærendam esse.

Et hinc quoque patet, utramque hanc virtutem non esse positam in inclinatione quadam rei ad permanendum in eodem statu, in quo est. Quàmvis enim unumquodque permaneat in statu suo naturali, ab eóque non nisi vi quadam externa demoveatur, admodùm tamen καταχρηστικῶς illa permanentia ponitur tanquam finis rei permanentis, ad quem tendat. Præterea, si vel nullam agendi in aliud virtutem esse in subjecto ponamus; nunquid propterea ipsum in suo statu non permansurum dicemus? Etiam minima atomus immutabiliter in rerum natura existit, habetque proinde in suo statu permanendi vim, non tamen resistendi, ut constat ex dictis; Non ergò satis accuratè vis corporis tùm agendi in aliud, tùm alterius actioni resistendi hîc à Cartesio descripta est.

Et hinc quoque nullius momenti esse constat ea quæ sequuntur; sic enim loquitur: *Hinc enim id, quod alteri conjunctum est, vim habet nonnullam, ad impediendum ne disjungatur; id quod disjunctum est, ad manen-*

dum disiunctum; id quod quiescit, ad perseverandum in sua quiete; atque ex consequenti ad resistendum iis omnibus, quæ illam possunt mutare; id quod movetur, ad perseverandum in suo motu, hoc est, in motu ejusdem celeritatis, & versus eandem partem. Nempe hæc omnia eò redeunt: Unumquodque est, & manet id quod est, conjuncta manent conjuncta, disiuncta manent disiuncta, quieta in quiete, & quæ moventur in suo motu. Sicut enim vis agendi nihil aliud est quàm potentia, ità quoque vis existendi vel permanendi nihil aliud est quàm existentia seu permanentia & duratio ipsa. Quàm ergò hæc omnia parùm veritati sint consentanea vel cæcus videret. Si enim unumquodque vim dicamus habere permanendi in suo statu, in quo est; quænam excogitari poterit ratio, quò minus omnia æternùm in isto statu perseverent, & nunquàm de eo deturbentur? Si dicas, unumquodque de suo deturbari statu non à se, sed ab alia causa externa; regero, ergò illud non habere vim resistendi, aut impediendi sui interitum, quam tamen illi attribuere videtur Cartesius. Prætereà, quæ vel levissima ratio cogitari potest, ob quam suspicemur unumquodque Ens in suo esse, motu, & quiete permanendi vim habere, & resistendi omnibus iis, quæ illum statum possint mutare? Quæ ratio persuaserit, ut huic muscæ vel vermiculo, vel arbori vim inesse judicem; quâ perpetuò in suo esse, motu & statu perseverent? Quis mihi demonstret huic corpori vim inesse ad resistendum aut impediendum, ne unquam in partes dividatur? Et quis denique credat avi inesse vim, quâ perpetuò in motu suo seu volatu persistat?

Sed jam porrò, vim hanc suam quomodò amplius declaret Cartesius, expendamus: *Visque illa*, inquit, *debet æstimari tùm à magnitudine corporis in quo est, & superficiei, secundùm quam istud corpus ab alio disiungitur; tùm à celeritate motus, ac natura & contrarietate modi, quo diversa corpora sibi mutuò occurrunt.* Non distinguit iterum Cartesius inter agendi & resistendi vim. Agendi virtus cùm in re nihil aliud sit, quàm ipsa essentia aut natura rei, utique à magnitudine corporis aut superficiei, vel etiam à motu nequaquam dependere ipsam manifestum est. Similiter & parva magis aliquandò, quàm magna resistere vel exigua ferri docet particula, vel etiam thorax ferreus, qui plumbo sclopo emisso resistit, quod crassiorem ligni tabulam perrumperet. Si tamen de virtute motiva quæstio sit, fatendum quam-plurimùm artificialem imprimis admodùm adaugeri non tantùm à magnitudine corporis, verùm etiam à figura, motusque imprimis determinatione, ut cochleæ, vectes aliáque instrumenta mechanica evidenter demonstrant.

CAPUT

Caput XXVI.

Motus celeritas & tarditas quid sint disquiritur, & explicatur.

AD Motus naturam clariùs percipiendam imprimis quoque cognitu necessarium videtur, quid celeritatis & tarditatis nominibus intelligatur, neque enim hoc omnibus obvium est. Huic autem disquisitioni occasionem præbent ea, quæ hîc & numero sequenti à Cartesio de celeritate & tarditate disseruntur, ubi tarditatem absque ulteriori inquisitione de quietis natura participare ait. Ad hujus autem rei intelligentiam recordandum est, quod suprà de motu instantaneo à nobis dictum est. Deinde & hoc notandum, unum corpus vel corpusculum in duobus simul locis esse non posse. Tertiò & hoc supponendum, omnem atomum seu particulam indivisibilem suum quoque occupare seu implere spatiolum.

Hisce positis & prænotatis dico, mobile unico instanti seu momento non posse nisi spatium indivisibile pertransire, neque plus, neque minùs. Si enim plus transiret, in eodem instanti esset in duobus locis simul; si minùs, non moveretur, sed quiesceret. Et hinc jam, quid de celeritate aut tarditate motus judicandum sit, clarè intelligitur. Nimirum, Motus ille celerrimus erit, si singulis momentis sibi continuò succedentibus continuetur; tardior verò, si inter momenta motus interjiciantur momenta quietis. Exemplo res fiet clarior: Sit linea constans decem punctis indivisibilibus seu atomis. A. a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. & moveatur per eam mobile A, Cùm igitur mobile A, non possit simul, seu in eodem instanti esse in a. & b. utique antequam ab a. moveatur in b. momentum requiri apparet, ità ut ad minimum decem requirantur momenta, antequam A, universam lineam transire queat. Si enim paucioribus momentis posset universam transire lineam, necessariò in uno momento deberet esse in duobus punctis, quod est impossibile.

Patet igitur, Motum celerrimum per illam lineam fore, si peragetur momentis decem; Et consequenter, si impendantur momenta 20. vel 30. motum fore duplo vel triplo tardiorem. Cùm igitur singulis momentis tantùm unicum indivisibile spatium absolvi possit, neque plus neque minùs, ut suprà dictum est; utique, si ad lineæ istius transitum impendantur 20. momenta, 10 eorum esse momenta quietis consequitur. Unde quoque solum motum celerrimum reverà continuum esse apparet, reliquos verò omnes, licet continui appareant, Quietes interjectas habere,

eóque vel plures vel pauciores, quò motus tardior vel celerior esse dicitur.

Hisce jam de celeritate ac tarditate motus præmissis, jam cum Cartesio progrediamur; sic autem ille, §. XLIV. *Notandum est unum motum alteri motui aquè veloci nullo modo esse contrarium: sed propriè tantùm duplicem hic inveniri contrarietatem.* Equidem quid hic sibi velit Cartesius, aut quò hæc faciant, aut quomodò cohæreant, non capio. Si enim duplex inveniatur contrarietas, quomodò unus motus alteri non est contrarius? Aut, si unus alteri nullo modo sit contrarius, quomodò duplex invenitur contrarietas? Ego quidem motus sibi mutuò contrarios dixerim, qui sese mutuò ex eodem expellunt subjecto, vel qui sibi mutuò adversantur. Sic motus sive æqualiter sive inæqualiter veloces sibi mutuò occurrentes contrarios arbitror, quemadmodùm generatio & corruptio contraria apellantur. Quodlibet enim mobile alteri occurrens illud in motu suo vel impedit vel turbat, ejusque proinde motum sive impetum impressum vel diminuit vel tollit.

Sed audiamus ipsum Cartesium, ejusque duplicem contrarietatem. *Una*, inquit, *inter motum & quietem, vel etiam inter motus celeritatem & tarditatem, quatenus scilicet ista tarditas de quietis natura participat.* Veram motum inter & quietem contrarietatem non esse suprà demonstratum est, cùm quies haud rarò motus putà adventitii imprimis sit perfectio & finis. Celeritatem quoque interque tarditatem nullam esse contrarietatem ex eo patet, quia tarditas & celeritas non nisi gradu differunt, quatenus scilicet tarditas plures quietes habet interpositas, ut modò à nobis ostensum est. Cùm ergò quies motui contraria non sit, utique neque tarditatem celeritati contrariam esse sequitur.

Altera contrarietas, pergit Cartesius, est *inter determinationem motus versus aliquam partem, & occursum corporis in illa parte quiescentis, vel aliter moti, atque pro ratione partis, in quam corpus alteri occurrens movetur. Hac contrarietas est major vel minor.* Cùm determinatio motus nihil aliud sit quàm motus determinatus, præter quem alius in rerum natura nusquam datur; utique sequitur hisce verbis nihil aliud velle Cartesium, quàm quod jam modò dixi, omnem motum contrarium esse motui, quem vel impedit vel diminuit, vel mutat, vel planè aufert. Quæ profectò contrarietas varios habet gradus, quatenus motrix illa virtus in uno se magis exerit, quàm in alio, ut sua luce clarum est.

Adeòque & hinc determinari posse, quantum cujusque corporis motus sive impetus mutetur propter aliorum corporum occursum facilè concesserim; ut docet Cartesius, §. XLV. Fatendum quoque duobus positis

positis corporibus, *illud semper quod valentius est sortiri suum effectum*, diminutum tamen atque labefactatum ab imbecilliori corpore, ut patet.

Caput XXVII.

Durities & fluiditas corporis, quid sint, explicatur.

Subjicit deinceps regulas aliquot Cartesius, sc. à §. XLVI. ad §. LIII. quas observarent duo corpora planè æqualia, *si sibi mutuò occurrerent, eáque essent perfectè dura, & à reliquis omnibus sic divisa, ut eorum motus à nullis aliis circumjacentibus impedirentur nec juvarentur*; Quia verò istarum regularum usum difficilem, vel potiùs nullum, esse advertit, §. LIII. propterea, quod corpora duo in rerum natura, quæ sibi mutuò tantùm occurrerent, nuspiam inveniri possunt, cùm unumquodque corpus à multis simul tangatur, idque diversimodè, prout scilicet alia dura sunt, alia fluida; idcircò illorum corporum diversitas, in quo consistat, hîc sibi quærendum esse tradit. Nos itaque regulis illis prætermissis, quod nullius sint usus in rerum natura, sequentia tantùm, magis ad naturam corporum spectantia, examini nostro subjiciemus:

Sic ergò progreditur Cartesius, §. LIV. *Nempe sensu teste, non aliam, diversitatem inter dura & fluida, agnoscimus, quàm quod fluidorum partes facilè recedant ex locis suis, atque ideò manibus nostris versus illa se moventibus non resistant; contra autem durorum partes ità sibi mutuò cohæreant, ut non sine vi, quæ sufficiat ad istam illorum cohærentiam superandam, sejungi possint.* Peripatetici duritiem accidens esse volunt, & speciem qualitatis. At verò multò hîc subtilius Cartesius noster de duritie Philosophatur, cui tamen per omnia absolutè assentiri non possumus. Quod ergò primò dicit, nos agnoscere, quod fluidorum partes facilè recedant ex locis suis, atque manibus nostris non resistant, verissimum est; neque enim aliud sensu nostro de materia fluida cognosci potest; ità ut fluiditas nihil aliud esse videatur, quàm carentia resistentiæ, aut firmæ connexionis partium. Unde & quò minùs materia aliqua resistit, particulasque minùs connexas habet, eò quoque magis fluidam eam esse sequitur. Hinc porrò, duritiem nihil aliud quàm partium cohærentiam aut connexionem esse, dicendum apparet. Quò ergò materiæ particulæ magis & arctiùs cohærent, eò quoque durius esse corpus colligitur.

Pergit Cartesius: *Et ulteriùs investigantes*, inquit, *qui fiat, ut quædam corpora sine ulla difficultate loca sua corporibus aliis relinquant, alia*

non item; facilè advertimus, ea quæ jam sunt in motu, non impedire, ne loca quæ sponte deserunt ab aliis occupentur; sed ea, quæ quiescunt, non sine aliqua vi ex locis suis extrudi posse: Unde licet colligere, corpora divisa in multas exiguas particulas, motibus à se mutuò diversis agitatas, esse fluida; ea verò, quorum omnes particulæ juxta se mutuò quiescunt, esse dura. Procedit hîc satis acutè Cartesius; hoc tamen advertimus, haud rectè ex motu fluiditatem colligi, aut ex quiete duritiem. Ponamus enim Universum mundum & durissima moveri corpora, nunquid propterea ea fluida dicemus? Et si aqua quiesceret in suo loco, anne idcirco duram diceremus? Omnibus ergò ritè expensis constat fluiditatem oriri ex particularum separabilitate, vel etiam ex actuali divisione, duritiem verò ex particularum connexione aut firma cohæsione; ità ut quò magis connexæ fuerint particulæ, aut firmiùs cohæserint, eò quoque corpus aliquod durius esse judicemus. Sive igitur particulæ agitentur sive quiescant, modò separabiles vel divisæ sint, totum fluidum dicimus; imprimis cùm agitatio particularum non tantùm efficiat, ut corpora aliena facilè ingrediantur, verùm etiam aliquandò eadem impediant, veluti quandò agitatio fit in contrariam partem. Colligimus ergò, quò corporis alicujus particulæ magis & firmiùs cohærent, eò quoque durius esse; & quò minùs cohærent, eò esse mollius adeòque magis fluidum; Unde & aqueas particulas minùs quàm terreas, & aëreas minùs quàm aqueas cohærere consequitur: Siquidem faciliùs per aquam quàm per terram, & adhuc faciliùs per aërem motum fieri experimur.

Cùm ergò in partium cohæsione vel divisione duritiem & fluiditatem corporis consistere dictum sit, utique inquirendum venit, quid sit illud, quod particulas cohærere facit, aut quid tollatur, cùm dura liquescunt & fluida redduntur. Cartesius solam quietem vult esse glutinum illud, quo partes connectantur. *Neque profectò*, inquit, §. LV. *ullum glutinum possumus excogitare, quod particulas durorum corporum firmiùs inter se conjungat, quàm ipsarum quies.* Certè, cùm quies nihil aliud sit, quàm vel à motu cessatio, vel permansio potiùs in suo loco, & multa corpora etiam fluida in loco suo permaneant, & nequaquam moveantur; utique quietem glutinum non esse partium manifestum est. Quare enim quies non posset concipi in partibus divisis? Aquam vitro contentam quietam videmus, (si enim moveas, varias simul in ea moveri particulas facilè oculo percipies.) & tamen nemo duram dixerit.

Sed quomodò hoc suum glutinum confirmat Cartesius? *Quid enim*, inquit,

inquit, *esse posset glutinum istud? non Substantia, quia cùm particulæ istæ sint substantiæ, nulla ratio est cur per aliam substantiam potiùs quàm per se ipsas jungerentur: non etiam est modus ullus diversus à quiete; nullus enim alius magis adversari potest motui, per quem istæ particulæ separentur, quàm ipsarum quies. Atqui præter substantias, & earum modos, nullum aliud genus rerum agnoscimus.* Ad naturam glutini rectiùs investigandam, notemus corpus aliquod durum, putà lignum. Hoc projiciamus in ignem, ut comburatur. Igni autem experimur particulas ligni ab invicem separari, ità ut quædam in fumum atque vapores, quædam in flammas, quædam in cineres resolvantur. Certè aliquas harum particularum glutinosas fuisse necessum est. Neque enim cineres licet quiescentes inter sese ampliùs cohærent; aqueis particulis eas quoque connexas non fuisse patet, quia aquâ iis affusâ nunquam tamen tàm firmiter eas cohærere videmus. Consequens ergò est, particulas sulphureas, & pingues, sive oleosas & viscosas fuisse glutinum, quo cineres isti imprimis ante ipsorum dissolutionem sibi mutuò firmiter cohærebant.

Quod ut adhuc clariùs percipias, nota à Chymicis quælibet ferè corpora resolvi in diversas naturas maximè inter sese differentes; harum subtilior & volatilior, Spiritus appellatur, vel etiam Mercurius. Crassior verò oleum dicitur, & sulphur; quæ verò maximè fixa est, sal nuncupatur. Superest deinceps materia quædam terrea admodùm & inutilis, quàm fæces vocant, & caput mortuum. Est denique aqueus quidam & insipidus liquor, quem phlegma dicunt. Hæc autem omnia, si iterum misceantur & conjungantur, idem rursus ex iis oriri corpus reipsa demonstrant. Sic & aurum, argentum, stannum, plumbum, aliáque extracto quodam humido in calcem reducere norunt, humido autem calci adjuncto metallum ejusdem naturæ cum præcedenti conficiunt.

Ex hisce ergò clarissimè percipitur, glutinum esse particulas quasdam corpori permixtas, quibus omnes firmiter inter se connexæ sunt. Non ergò quies particularum ipsa glutinum esse potest, licet enim cineres quiescant, non tamen cohærent aut connexæ sunt, ut per se patet. Notandum autem hîc est, particulas sive atomos glutinosas esse diversæ naturæ, (neque enim omnes in eodem gradu glutinosas aut viscosas esse putandum est,) & hinc quoque unius corporis particulas magis quàm alterius connexas esse videmus. Deinde & hoc notandum, corpora quædam solis glutinosis particulis constare, quibus proinde glutinis nomen propriissimè convenit; hujusmodi ergò particulæ, cùm se-ipsis cohæ-

rere

rere queant, glutino alio, quo cohæreant, non habent opus. Denique & hoc notandum, ad cohærentiam particularum actualem plerumque frigus aliquod requiri in particulis glutinosis, quo rigescant. Sicut enim calore particulas cohærentes dissolvi, ità frigore easdem concrescere atque arctiùs cohærere experimur. Patet hoc in Metallis, auro, argento, plumbo, aliisque, quæ calore liquescunt, frigore verò durescunt, ut sensus ostendit. Similiter & ceram, adipem, sebum, picem, butyrum, imò & ipsam aquam frigore rigescere, calore verò liquefieri, alia citiùs, alia tardiùs videmus. Ex quibus omnibus me colligere posse arbitror, frigus primariam & formalem esse causam duritiei, saltem eorum corporum ratione, quorum particulas glutinosas ipso rigidas fieri constat. Nam & aquam farinâ permistam, ova, saccharum, sal, aliáque quædam liquida calore durescere certum est. Quædam item corpora difficilius liquescunt, & non nisi intensissimo calore, ut metalla, aurum, argentum, ferrum, &c. Quædam verò facillimè & minimo calore, ut butyrum, adeps, cera, &c. Quædam denique nulla ratione liquefiunt, ut Ligna, lapides pretiosi, gemmæ, adamas, &c. Ex quibus omnibus manifestum arbitror, pro diversorum corporum ratione de duritiei & fluiditatis causis Philosophandum esse; adeòque nullam adeò generalem causam hactenus assignatam esse, quæ in omnibus duritiem causet aut fluiditatem, cùm hæc omnia ex diversitate atomorum, quibus corpora naturalia constant, explicari debeant.

CAPUT XXVIII.

Ulteriùs ostenditur fluiditatem non consistere in motu particularum.

QUamvis fluidorum particulæ facilè recedant ex suis locis, atque manibus nostris non resistant, ut suprà à nobis concessum est; haud tamen ex eo colligendum arbitramur, ipsam fluiditatem in motu illo particularum formaliter sitam esse; adeòque & hìc à Cartesio dissentire cogimur. Sed & ipsum de hoc negotio audiamus, §. LVI. *Quantum, inquit, ad fluida, etsi sensu non advertamus, ipsorum particulas moveri, quia sunt nimis exiguæ, facilè tamen ex effectibus id colligitur, præcipuè in aëre & aqua, ex eo quod alia multa corpora corrumpant: neque enim actio ulla corporea, qualis ista corruptio est, sine motu locali esse potest, & causæ ipsorum motus infrà dicentur:* Vult ergò Cartesius, omnes fluidorum corporum particulas in continuo esse motu, etsi sensu non percipiatur. At, quæso, impleatur hoc vitrum aquâ purâ & limpidâ, vel vino, nonne parti-

particulas illius quaquaversum moveri & inter sese agitari oculis nostris videmus, & tandem ad quietem reduci? Si etiamnum moveri particulas, etsi non ampliùs motus percipiatur, dixeris, negare tamen haud poteris, quin in principio, dum eas moveri visu tuo percipiebas, magis motæ & agitatæ fuerint, quod denuò experiundo cognoscas. Si igitur in motu fluiditatem vini consistere putes, utique in principio magis quàm jam liquidum fuisse vinum sequetur, quod tamen nemo concesserit, neque ulla ratio dictat. Deinde, si totum corpus visu nostro percipiatur, quare, si omnes moveantur particulæ, id ipsum à sensu nostro non advertitur? *Quia*, inquit Cartesius, *particulæ nimis sunt exiguæ*. Verùm enimverò, quamvis atomos singulatim sumptas vix ullas visu nostro percipi posse, facilè concesserim, num propterea conjunctæ visum nostrum non afficient? quomodò ergò antea vinum primò infusum & agitatum particulas moveri video, si nimis exiguæ sint? Et, cùm omnes simul conjunctæ appareant, certè singularum exiguitas, quò minùs videantur, non efficit. Nam quid aliud, quæso, in vino vides, quàm illius particulas? Quod si unam vel alteram in vino particulam moveri fingeres, exiguitatem illarum fortè causari potuisses, quò minus visu percipiam; at verò cùm omnes moveri versus omnes partes putentur, cæcus profectò sit necesse est, qui motum illum non advertat.

Neque ratio ab effectis desumpta contrarium demonstrat. Nam licet omninò aëri aut aquæ vim corrumpendi alia corpora concedamus, eámque corruptionem non absque motu explicari posse fateamur; aquæ tamen vel aëris fluiditatem in particularum motu sitam esse nullâ inde legitimâ colligitur consequentiâ. Etsi enim fluida naturâ suâ non moveri statuimus, aliunde tamen ea moveri nihil repugnat. Aërem, ut & aquam vento moveri ferè continuò notum est; at vento hanc aut illum fluidum reddi quis credat? Præterea, si aquæ particulas in continuo motu esse ponamus, jam nullum in eo omninò corpus quietum existere posset; quia corpus durum in fluido existens à minima vi moveri potest. At verò contrà plurima sæpè corpora dura absque ullo motu in vase aquâ vel liquore alio repleto videmus. Nullum ergò in aquæ particulis esse motum, omnes autem quiescere argumentum est.

Denique, si particulæ fluidorum semper moverentur, quæro in quam partem? Occidentem versus an Orientem? Neutrum affirmare potes, quia tunc omnia corpora illis innatantia versus eandem partem necessariò moverentur, quod tamen non videmus. Si dicas, versus omnes partes moveri; id certè de omnibus particulis intelligi non potest, estque impos-

 sibile,

ſibile, ut vel una particula ſimul verſus plures & oppoſitas ſe moveat partes. Si ergò quaſdam huc, quaſdam illuc, atque ità omnes promiſcuè inter ſe confuſo modo agitari finxeris; quæro, à qua cauſa, cùm motu naturali & innato tam contrarii & confuſi motus in eodem ſubjecto eſſe nequeant? Et quæ ratio, quod una particula magis quàm altera verſus hanc partem determinetur, cùm omnes ejuſdem naturæ eſſe ſupponantur? Certè hæc omnia, cùm intelligibiliter explicari non poſſint, nec fluiditatem in motu, nec duritiem corporum naturalium in quiete conſiſtere ſatis ſupérque me demonſtraſſe exiſtimo. Neque exempla à Carteſio allata quicquam ad rem faciunt, cúmque multa iis jam ſuprà refutata, & falſa contineantur, omniáque ex antecedentibus facili negotio percipi queant, non eſt quod ulteriùs in eorum examine immoremur.

Quia verò adhuc aliud objici ſibi poſſe advertit Carteſius, quod quam maximè ſententiæ ſuæ de fluiditate & duritie corporum per motum & quietem partium explicatæ adverſatur, illud hoc quoque loco ſibi explicandum duxit. Sic autem ait, §. LXIII. *Unum autem adhuc eſt, in quo experientia regulis motus, paulò antè traditis, valde videtur adverſari; nempe quod videamus, multa corpora, manibus noſtris longè minora, tam firmiter ſibi mutuo adhærere, ut nulla earum vi ſejungi poſſint. Si enim illorum partes nullo alio glutino ſibi invicem adhæreant, quàm quod ſingula juxta vicinas quieſcant, & omne corpus quod quieſcit, ab alio ſe majori quod movetur, poſſit ad motum impelli, non apparet prima fronte ratio, cur exempli gratia clavus ferreus, vel aliud quodlibet, non magnum, ſed valde durum corpus, ſola vi manuum noſtrarum in duas partes dividi non poſſit. Licet enim unamquamque mediam partem iſtius clavi pro uno corpore numerare. Cúmque iſta media pars manu noſtra ſit minor, videtur ejus vi debere poſſe moveri, atque ſic ab alia media parte divelli.* Non certè de nihilo hocce eſt argumentum, quod præter multa jam ſuprà recenſita Carteſii ſententiam plane evertat. Hujus autem vis ut rectiùs percipiatur, ſumatur corpus durum, ſive hæc Lamina plumbea vel ferrea, vel etiam hæc penna vel calamus, partes ejus ſejungere aut diſtrahere nequeo. Quæro igitur, quare minùs à me id fieri queat, cum alia corpora longè majora, putà hæc maſſa cerea, hoc lignum, facili negotio à me rumpantur? Nulla certè hîc ratio reddi poteſt, quàm quod particulæ plumbeæ vel ferreæ firmiùs cohæreant, quàm hujus ceræ vel ligni? Certè partium quies iſtius diverſitatis ratio eſſe nequit, quia æquè ligni aut ceræ, quàm ferri aut plumbi partes quieſcere video. Prætereà, limâ vel alio inſtrumento laminam iſtam, & pennam ſcalpello in duas partes divido, parteſque divi-
ſas

ſas juxta ſe colloco, ut contiguæ ſint, ſéque mutuò exactè tangant. Jam verò facilè eas ſeparo. Quæ ratio? Neque enim nunc minùs quieſcunt diviſæ, quàm anteà unitæ. Non ergò quies glutinum eſt, quo particulæ ſibi mutuò cohærere Carteſius exiſtimat.

At, quomodò explicat hanc difficultatem Carteſius? *Notandum eſt*, inquit, *manus noſtras eſſe admodùm molles, ſive ad naturam corporum fluidorum, magis quàm durorum, accedentes; ideóque non totas ſimul agere ſolere in corpus ab iis movendum, ſed eam tantùm ipſarum partem, quæ corpus iſtud tangens, tota ſimul in illud incumbit.* Verùm hæc ratio frigida eſt, & nullius ponderis. Eadem enim manu alia corpora, tum majora vel centies graviora juxta ſe poſita movere poſſum & ab invicem diſtrahere, hanc tamen pennam vel tenuiſſimum hoc filum ferreum diſtrahere nequeo. Et licet vel univerſa manus ferro eſſet obducta, nondum tamen clavum ferreum, imò ne hanc quidem aciculam in duas partes dividendo el diſtrahendo es; adeóque & reliqua nullius ſunt momenti.

CAPUT XXIX.

De externa corporum naturalium figura.

SEquitur §. LXIV. Ubi, huic Philoſophiæ parti finem impoſiturus Carteſius, ſic loquitur: *Nihil hîc addam de Figuris, nec quomodò ex earum infinita varietate, motuum quoque varietates innumeræ conſequantur, quia ſatis iſta per ſe patebunt, ubicunque uſus veniet, ut de ipſis agamus.* Horum verborum occaſione quædam de externa corporum naturalium figura explicanda veniunt. Notandum igitur eſt, res omnes viventes & animatas imprimis, earúmque partes determinatos magnitudinis ſuæ & parvitatis habere terminos & figurationes. Neque enim Elephas poteſt eſſe ſub parvitate formicæ, nec homo ſub magnitudine montis, nec oculus ſub figura auris, &c.

Suprema autem hujus rei cauſa nulla alia eſſe poteſt, quàm Deus ipſe, omnium rerum Conditor, qui pro abſoluto ſuo beneplacito, ut eſſe, ità & tale eſſe, ſub hac vel illa quantitate, & figura, omnium, quæ condidit, entium determinavit ac delineavit. Si verò de cauſa proxima & principio formali quæſtio ſit, qua fiat, ut etiamnum hujuſmodi delineamenta, quantitates atque figuræ determinatæ in viventibus reperiantur, utique aliam haud poſſe aſſignari exiſtimo, quàm vim quandam formatricem ſeu plaſticam, quam omnium rerum ſeminibus divinitùs impreſſam eſſe certum eſt. Sicuti enim impetus, pilæ à projectore impreſſus, aliquandiu

diu in ipſa perſeverat, quemque alteri pilæ ſibi occurrenti communicare poteſt: ità etiam cogitare poſſumus, Deum primis rerum individuis ab ipſo determinatis indidiſſe vim quandam plaſticam, quam & ſuis poſteris immutabili lege communicent. Prætereà, ſicuti in officinis vitrariorum videre eſt vitra cujuſlibet figuræ conflari ſecundùm impreſſiones ipſis primò à vitriario factas; ità quoque individua diverſæ figuræ atque delineationis generari videmus ex diverſis ſeminibus, prout ſcilicet diverſas impreſſiones à Conditore in principio acceperunt. Et hinc ex ſemine humano homines, equino equos, canino canes, &c. generari atque formari experientia docet.

Et hinc jam quoque patet, corporum naturalium differentiam dependere non tantùm ab interno ſingulorum temperamento, Atomorum partiúmque diſpoſitione, verùm etiam ab externa eorum delineatione, atque figura, quibus determinata ſunt. Et quia externa hæc delineatio atque figura imprimis nobis hominibus eſt conſpicua atque ſenſibilis, hinc eſt ut ea corpora, quæ ejuſdem vel ſimilis ferè figuræ eſſe apparent, eodem nomine communi ſeu ſpecifico appellare ſoleamus: quæque proinde ejuſdem ſpeciei eſſe dicuntur.

Ità ut diverſitas corporum naturalium determinatorum, quæ ſpecifica vulgò dici ſolet, non primariò internam naturæ diverſitatem arguat, ſed externam ratione quantitatis & figuræ delineationem, etſi plerumque externa illa differentia figuræ etiam internam naturæ arguat. Neque enim ulla ratione ſit veroſimile, primos illos ὀνοματοθέτας, cum corporibus primò nomina imponerent, quicquam de ſingulorum internis, ſive formis, ſive temperamentis, ſive qualitatibus, quas ne cognoſcere quidem potuerunt, cogitaſſe. Nomina igitur ipſos diverſa iis corporibus attribuiſſe credendum eſt, quæ diverſa quantitate, figura, ac delineatione prædita eſſe videbant.

Cum verò paulatim experientia & uſu innoteſceret, non omnia illa corpora, quæ externè ſimilia apparebant, etiam internè ſimilia eſſe, aut ejuſdem naturæ atque temperamenti, mox quoque diverſa, quibus diſcerni poſſent, nomina iis impoſita eſſe putandum eſt. Et quia corpora liquida, aliáque quæ determinatos à natura terminos non habent, externè ſeu externa delineatione aut figura diſcerni non poſſunt, ut aqua & vinum; hinc diverſa iis nomina impoſita eſſe apparet, quia diverſas eorum naturas ſeu qualitates internas eſſe advertebant. Unde quoque facilè percipitur non omnes corporum naturalium motus à figuræ diverſitate aut varietate dependere, ſed imprimis ex interna ipſorum natura atque tempera-

peramento, quod, meo judicio, nihil aliud est, quàm multarum qualitatum in corpore naturali concurrentium congeries. Quemadmodùm enim ex multis variisque particulis oritur unum corpus, quod compositum dicitur, ità quoque ex multis earum particularum qualitatibus oritur una mixta seu composita qualitas, quæ Temperamentum appellatur, de quo latiùs in Philosophiæ nostræ Lib. VII. Exerc. XXXVII.

Atque hæc quidem ad Principia rerum naturalium, secundùm Philosophiam Cartesii, notata sufficiant.

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS

Rerum præcipuarum, quæ hoc Examine continentur.

A.

Accidentia *non migrant de subjecto in subjectum.* 85
Aër *an rarefieri queat.* 14
——— *comprimi & extendi potest.* ibid.
——— *est corpus rarum.* 43
——— *poris suis fumum & vapores recipit.* 65
Aëris *una particula mota, non est necesse omnes moveri.* ibid.
Agendi *& resistendi vis differunt.* 88
Agendi *virtus non dependet à magnitudine.* 90
Aquæ *fluiditas non consistit in particularum motu.* 97
Atomi *naturali virtute produci nequeunt.* 69
——— *non nisi ex nihilo producibiles.* ibid.
——— *natura sua sunt immutabiles.* 73
——— *sunt principia omnium corporum naturalium.* 45
——— *extensionem non habent, licet quantæ dici queant.* 46
——— *ne cogitatione quidem sunt divisibiles.* ibid.
——— *determinata, quibus existant, habent spatiola.* 67
Atomorum *existentia demonstratur.* 44.65
——— ——— *à Cartesio agnita videtur.* 66
——— *cognitio summè necessaria.* 45
——— *numerus ratione nostri innumerabilis.* 66
In Atomis *nulla resistendi vis.* 89

B.

Bruta *alio modo à rebus corporeis affici videntur, quàm homines.* 6

C.

Calore *particulæ glutinosæ liquescunt.* 96
Cartesii *contradictio.* 10
——— *paralogismus.* 28.40.50
Cavitas *absque corpore cogitari potest.* 41
Causæ *divisio in universalem & particularem examinatur.* 68
Celeritatem *inter & tarditatem non est contrarietas.* 92
——— *sed tantùm distinctio graduum.* ibid.
Chymici *corpora in diversas naturas resolvunt.* 95
Cogitatio *sive conceptus est actio mentis interna.* 53
Condensatio *quid secundùm antiquos.* 12
Continens *& contentum plus quam ratione differunt.* 25
Contractio *opponitur extensioni.* 16
Corpus *sensu imperceptibile nullum.* 14
——— *sine qualitate sensibile non est.* 9
——— *per se nec magnum nec parvum.* 19
——— *genericum non datur.* 20.26
——— *quare divisibile.* 23
——— *idem quomodò majorem quantitatem suscipere queat.* 42
——— *compositum partes suas actu continet.* 45
Corporis *existentia unde constet.* 3
——— *de ea dubitationes quæ moveri possent.* 2
——— *essentia an consistat in trina dimensione.* 10
——— *vera definitio, genus, differentia.* 11
——— *ad ejus verum conceptum formandum quid requiratur.* 8. 12
——— *ad ejus cognitionem requiritur cognitio proprietatum.* 52
Corpore *in eodem varii motus considerari possunt.* 62
Corpora *omnia extensa non sunt.* 21
——— *quæ minus resistant.* 88
——— *mundana ad circularem motum sunt determinata.* 82
Corporum *diversitas etiam à materia dependet.* 54
Creatio *in quo terminetur.* 70

D.

Deus *an deceptor esset, si rem alio modo proponeret ac est.* 2
——— *an non possit rem immaterialem, ut corpoream proponere.* ibid.

—— *ubique essentialiter existit.* 37
—— *indivisibilia creando suam potentiam non diminuit.* 47
—— *extra suas creaturas an nusquam sit.* 49
—— *aliam materiam creare potuit.* 50
—— *plura potest facere, quàm nos concipere.* 51
—— *haud rectè statuitur causa universalis.* 68
—— *naturalis motus atque quietis causa prima.* 70
—— *singulis pro arbitrio determinatos quantitatis suæ terminos assignavit.* 99
Dei *voluntate omnia fiunt, & existunt.* 50
Deum *esse causam primam haud evidenter à Cartesio probatur.* 69
Dextrum *& sinistrum non arguunt extensionem.* 22
Differentia *corporum naturalium unde dependeat.* 100
Differentia *specifica animalium quid arguat.* ibid.
—— *vera an cognosci queat.* 8
Distantia *quid sit.* 42
—— *absque corpore intermedio cogitari potest.* 41
Divisibilitas *corporis proprietas non rectè statuitur.* 53
—— *quibus competat.* 23
Divisibile *an quid negativum.* ibid.
—— *omne compositum, habetque rationem totius.* 45
—— *cogitatione, non semper est divisibile actu.* 46
—— *& divisum differunt.* 24
Divisio *an ducat ad corruptionem.* ibid.
—— *indefinita & definita an differant.* 67
—— *causæ in universalem & particularem, qualis.* 68
Divisionis *bonæ membra debent esse opposita aut distincta.* 69
In Divisionibus *corporum tandem necessariò perveniri ad ultimam.* 10
Durities *quid.* 93
—— *unde oriatur.* 94

E.

Ens *duplex immateriale & materiale.* 11
Essentia *& proprietas non distinguuntur realiter.* 20
Extensile *unum corpus magis quàm aliud, quare.* 44
Extensio *quid.* 16
—— *quibus corporibus conveniat.* ibid.
—— *opponitur contractioni.* ibid.
—— *etiam Loco & spatio convenit.* 11

non

—— *non convenit omni corpori, nec semper.* 22
—— *quatenus spiritibus conveniat.* ibid.
—— *corporea quomodò ab immateriali differat.* 11
—— *eadem eidem non semper convenit corpori.* 23
—— *nihil facit ad conservationem.* 24
—— *etiam variis non-corporibus convenit.* 41
—— *generica nulla datur.* ibid.
—— *quælibet non est corpus.* 48
—— *vix aut parum facit ad cognitionem rei.* 52

F.

Figura *quid.* 28.57
Fluiditas *corporis quid.* 93
—— *Unde oriatur.* 94
Fluidæ *particulæ non semper moventur.* 96
Frigus *primaria duritiei causa.* ibid.
Frigore *particulæ glutinosæ rigescunt.* ibid.

G.

Genericum *corpus non datur.* 20.26
Generici *conceptus non explicant rem.* 52
Glutinum, *quo partes connectuntur, quid sit.* 94
—— *quomodò cognoscatur.* ibid.

I.

Idea *materiæ multiplicis in nobis datur.* 51
Idea *corporis, & idea spatii aut loci differunt.* 27
Impenetrabilitas *quid.* 11
—— *proprietas materiæ.* 53
Immutabilitas *Dei unde constet.* 72.88
—— *ad ejus conservationem non requiritur Immutabilitas operum.* 72
Impetus *quid.* 84
—— *non transit de uno mobili in aliud.* ibid.
—— *distinguitur à motu.* ibid.
Indefinitum *quid.* 49
—— *& infinitum an differant.* ibid.
Influxus *Dei indifferens & à causis secundis determinabilis nullus est.* 68
—— *generalis qualis admittendus.* ibid.

L.

L.

Lapis *fundâ projectus quare moveatur per Lineam rectam.* 82
Latera *vasis quadrati vel rotundi non possunt esse contigua.* 41
Linea *circularis constat ex lineolis rectis.* 83
Liquida *quædam calore durescunt.* 96
Locus *& res locata diversa significant.* 28
——— *sumitur vel absolutè vel relativè.* 29
——— *aliquandò pro spatio ab arbitrio determinato.* 31
——— *aliquandò pro spatio apparente.* 32
——— *spatium, & vacuum quomodò differant.* 33
——— *non est superficies corporis ambientis.* 34
——— *nec medium quid inter ambiens & ambitum.* 35
Loci *distinctio in internum & externum inepta.* 34
——— *mutatio essentiæ mutationem non arguit.* 73
In Loco *eodem duo corpora simul esse non possunt.* 11
Lumen *non nisi in corpore opaco.* 39

M.

Magna *corpora quæ.* 17
Magnum *& parvum relativa.* 18, 19
Materia *eadem quomodò sub diversa quantitate apparere queat.* 17
——— *totius Universi non est eadem.* 51
——— *ejus variatio absque motu fieri potest.* 54
Mathematici *à materia abstrahunt.* 15
Mentis *judicium quamdiu suspendendum.* 7
Mobile *motum non necessariò modaliter mutatur.* 59
——— *unico momento transit tantùm spatium indivisibile.* 91
Mobilitas *nihil ponit in mobili.* 53
Moto *uno corpore non movetur necessariò aliud.* 60
Motus *non est modus.* 57
——— *an fiat per circulum.* 63
——— *& virtus movendi differunt.* 70
——— *omnis ab initio non est productus.* ibid.
——— *ad omnem generationem necessarius.* 54
——— *datur prèter localem.* 55
——— *Localis quid.* 56
——— *absque eo multa fiunt.* 54
——— *quomodo semper sit in mobili.* 57

—— *non est res subsistens.* 57
—— *rationalis ex arbitrio cessat.* 74
—— *projecti lapidis, ejusque continuationis causa.* 75
—— *naturalis non fit per lineam rectam.* 80
—— *particularum Terræ qualis.* 79
—— *præsens tantum instantaneus.* 81
—— *celerrimus quis.* 91
Motus *mutatio non infert semper mutationem modi.* 57
—— *determinatio quid & unde.* 85
—— —— *absque motus mutatione mutari non potest.* 87
—— *particulæ, ut temporis, evanescunt.* 85
—— *celeritas & tarditas quid.* 91
Motum *inter & Quietem non est contrarietas.* 92
—— *instantaneum dari probatur.* 81
Motus *tardiores omnes quietes intermixtas habent.* 91
—— *contrarii qui.* 92
Moveri, *& non moveri idem corpus diversa ratione potest.* 30
Moveantur *absolutè quæ, & quiescant.* 29
Id quod movetur, *an semper moveatur.* 74, 75
Movendi *virtus quomodò augeatur.* 87
Mundus *à Deo conditus in statu perfecto.* 80
Mundi *totius materia non est eadem.* 51
—— *spatium amplissimum ut sit, majus tamen concipi potest.* ibid.
Mundum *extensionis suæ terminos habere ostenditur.* 48
Mutatio *rerum fit in instanti.* 82

N.

Natura *motus & quietis principium quo sensu.* 54
—— *sui semper est conservatrix.* 73
—— *ipsa per se est principium activum.* 89
Navis, *mutata superficie ambiente, quo sensu in eodem loco manere dicatur.* 36
Nomina *rebus unde imposita.* 100
Non-Ens *reale non est nihil.* 41

O.

Objecta *diversimodè homines afficiunt.* 7
Occupare *locum & spatium alterius an differant.* 33

P.

Partes *quà tales sunt indivisibiles.* 45
Particulæ *glutinosæ.* 95

Per-

Permanendi *vis in suo statu an omnibus insit.* 89
Pila *in arenam vel lutum projecta, quare non resiliat.* 86
Potentia *activa non distinguitur ab ipsa essentia rei.* 89
Proprietas *quid.* 53
——— *ab essentia non distinguitur realiter.* 20
——— *materiæ est impenetrabilitas.* 53

Q.

Qualitas *quid.* 9
——— *duplex, sensibilis & intelligibilis.* 5
——— *sensibilis à sensu diversimodè percipitur.* 6
——— *non nisi relativè rebus attribuitur.* ibid.
——— *intelligibilis rebus relativè convenit.* ibid.
Quantitas, *quomodò distinguatur à corpore.* 15
——— *& extensio quomodò distinguantur.* 16
——— *non nisi relativè rebus attribuitur.* ibid.
——— *materiæ, an pendeat ab extensione.* 44
Quantitatis *nomine quid intelligant Philosophi.* 17
——— *determinatos terminos habent viventia animata.* 99
Quies *quid.* 57, 58, 75
——— *non semper motui contrarià.* 75
——— *non est glutinum partium.* 94
Ad Quietem *an tantundem actionis requiratur, quàm ad motum.* 58
Quiescere *res dicitur vel absolutè vel relatè.* 57
Idem quomodò dici possit Quiescere *& moveri.* ibid.

R.

Rarefactio *& condensatio quid ex Antiquorum sententia.* 12
Rarefactione *nova quantitas non acquiritur.* 13
Corpora spongiosa quomodò Rarefiant. 43
Resistendi *vis.* 88

S.

Sensus *quid doceant.* 5, 6
——— *non sunt rejiciendi.* 7
Situs *quid significet.* 28
Spatium, *Locus, & Vacuum quomodò differant.* 33
——— *an significet trinam dimensionem.* 34
——— *in infinitis particulis divisum concipi nequit.* 67
——— *Universi immobile.* 29
——— *differt à corpore.* 25
——— *corpore remoto manet idem.* 28

Stellæ *non moventur loco, etiamsi totum cœlum moveri ponamus.* 31
Superficies *corporis ambientis non est Locus.* 34

T.

Tarditas *motus quid.* 91
——— *& celeritas, quomodò differant.* 92
Temperamentum *quid.* 101
Terræ *motu posito, non sequeretur tamen omnia corpora Terræ moveri.* 61
——— *partes circulariter moveri colligit Galilæus.* 76
——— *particulæ quandò ad centrum properent.* 79
——— *centrum an lapis appetat.* ibid.
Totius *ad motum non sequitur motus partium.* 31

V.

Vacuum *quid.* 29
——— *spatium, & Locus quomodò differant.* 33
——— *relativum vel absolutum.* 37
——— *ex usu vulgi non excludit omne corpus.* ibid.
——— *quare non posse dari Philosophi putent.* ibid.
——— *dari posse ostenditur.* 38
Vas *inter & corpus contentum non est necessaria connexio.* 40
Vicinia *corporum non est Locus.* 59
Vini *particulæ an moveantur.* 97
Virtus *plastica determinatæ quantitatis proxima causa.* 99
Vitrum *poros non habet.* 39
Unio *corporis & animæ an ex sensu & dolore certò concludatur.* 4
Unitas *communis materiæ conceptus quid arguat.* 51
In Unitate *an omnia conserventur.* 24
Universi *motus percipi nequit.* 30

FINIS.